41532/B/1

666

IOSEPHI DE PLENCIZ,

M. D. PATHOLOGIAE ET PRAXEOS MEDICAE IN ALMA VNIVERSITATE CAROLO - FERDINANDEA PROFESSORIS R. P. ET O. ORPHANOTROPII AD S. IOANNEM BAPTISTAM ET DOMVS LABORATORIAE PHYSICI,

ACTA ET OBSERVATA MEDICA.



PRAGAE ET VIENNAE,

apud Ioan. Ferd. Nob. a Schönfeld.

1783.

303565

Venerabili Seni

Viro Hyppocratico

Patri optimo

d. d. d.

author.

Non filialis mei amoris ac deuotionis, ſed ſincerae tantum, quam omnis TIBI debet practicus aeſtimationis teſtimonium hac mearum obſeruationum dedicatione intento; qui enim ſeptuagenario maior continuo libris inſudas, qui quinquaginta fere annorum practicus recentiorum obſeruationes digerere, imitari, ac propriam ſententiam mutare non erubeſcis *), qui naturam, non

*) Videatur noua editio tract. de Scarlatina.

non ſyſtemata conſulis, omnium vtique practicorum admirationem laudemque promereris, quam poſt celeberrimos plures et ego proniſſimo animo TIBI defero. Vale et amare perge

TIBI

devinctiſſimum ac gratiſſimum filium.

PRAEFATIO.

Biennium elapſum eſt, quod regnante adhuc Auguſtiſſima Maria Thereſia noſocomium medico-practicum in noſtra ſtatueretur Vniuerſitate ea lege, vt profeſſori praxeos apud fratres miſericordiae octo traderentur lecti, in quos ex centum reliquorum lectorum noſocomii aegris eos ſibi eligat, qui et materiae pertractandae et demonſtrationibus neceſſariis eſſent quam aptiſſimi, et ne paucitate lectorum ſufficientem morborum varietatem exhibere impediretur, ius ipſi traditum fuit, quo ex morbis longis aegrotantes, aut tarda con-

ualeſcentia

ualeſcentia lectum prementes ex his octo lectis in alios magni noſocomii transferre poſſit, vbi tamen ipſius ſemper curae ſubiecti maneant: hac lege factum fuit, vt in his octo lectis ſemper is ſufficiens numerus et varietas aegrorum haberi potuerit, quo intra decem menſes ſcholaſticos anni 1781 in octo his lectis 118 aegri ſtudioſis demonſtrati fuerint.

Doctrinam hanc clinicam ſequenti ordinaui methodo.

Initium facio doctrina methodi aegros examinandi, et anamneſin ac diagnoſin formandi, haecque omnia in variis aegris illico practice demonſtro. Curo dein, vt ſemper quam maxime eos haberem morbos aut ſaltem quam ſimillimos, quos eo tempore in noſologia methodica pertracto, ſicque theoriam ex praxi hauſtam ipſa praxi iterum confirmem. Hoc in ordine adeo inflexilis tamen non ſum, vt non

quan-

quandoque doctrinam dominantibus, aut rarius et recte nunc obuenientibus morbis adcommodem. Examen aegri me, ſtudioſisque praeſentibus ab vno ſtudioſorum inſtituitur, diagnoſis indicationesque formantur, reliquis ſtudioſis ſua contra latam ſententiam dubia obponentibus, meque, quae circa anamneſin aut diagnoſin, aut indicationes errata fuiſſent, monente ac corrigente. De prognoſi generalia tantum pertractantur, cum bona facta diagnoſi prognoſis facilis, diagnoſi autem peccante prognoſis falſiſſima ſemper ſit. Examinanti ſtudioſo, qui ex doctioribus ſemper eligitur ſocius neopracticus, ac hiſtoria huius aegri conſcribenda traditur, ea lege, vt quotidie ea adcurate adnotentur, quae a me in binis quotidie factis viſitationibus illorum in praeſentia fuerint viſa, obſeruata, acta; hiſtorias dein reuideo, corrigo, confirmo.

Si

Si qui aegrorum fato defungantur, cadauer inuiolata lege ſtudioſis praeſentibus, et praelecta totius morbi hiſtoria anatomice luſtratur, quaeque in hac ſectione praeternaturalia adparent, notantur, vt completa totius morbi habeatur hiſtoria.

Nonnunquam etiam cadauera ſingulari morbo in magno noſocomio meae curae non ſubiecto defuncta aperimus, ſed dolendum ſolummodo, nos ob ſacri inſtituti leges occaſione carere, morbos foeminis proprios, morbosque infantum exhibendi.

Quae ergo biennii decurſu in hoc noſocomio obſeruata, actaque fuerint, hic fido calamo deſcribuntur, et hinc inde etiam praxi mea alia illuſtrantur, caeterum non aliorum, ſed meas ſolum obſeruationes recenſere volui, ac inde rariſſimis citationibus vtor.

PROLEGOMENA.

Morborum circuitus regulares adeo, prouti Hyppocrates in Graecia, et hodierno tempore Grant in Anglia obſeruarunt, obſeruare non potui; obſtitit enim huic regularitati morborum, irregularitas conſtitutionum temporis noſtra in regione obtinens, qua fiat, vt ſeneſcente aeſtate ob frigora alternantia, epidemiam inflammatoriam, adulta econtra ac tepore foeda hyeme biliofam aduerterim, cum nempe morborum horum circuitus non anni aſtronomici vertentibus reſpondeant mutationibus, ſed viciſſitudinibus tempeſtatum ſeſe certo ordine excipientium.

Nec haec ſola eſt noſtrarum epidemiarum ab illis non ſolum Hyppocratis et Granti, ſed etiam Ballonii, Sydenhami, Ramazzini, Stollii &c. differentia, ſed notatu digniſſimum adhuc obuenit, quod prouti Sydenhami epidemiae plus minus ſemper de inflammatione Ramazzini et Stollii de bile participent, ſic in noſtris epidemiis pi-

pituita, lentus nempe, iners ac viſcidus humor vbique aut principem, aut ſaltem famulantem ageret perſonam: huius autem rei cauſſam a ſequentibus dependere circumſtantiis facile quiuis deſumet. Vrbs noſtra vaſtiſſima, in valle oblonga ſitum eum habet, vt et vltra binas exiguas partes vrbis in altiore loco ſitas proximi non exigui montes vndique multum emineant, tantumque apertior vallis ſeptentrionem inter et occaſum ſit, caeterum vndique montes catenarum forma vrbem circumdent proxime adeo, vt eorum vnus non ignobilis in vrbis limitibus, reliqui mox ſub portis ſint, viciniaeque montoſae in altiorem ſemper eleuentur ſitum.

Per mediam hanc vallem ſinumque vrbis tardigrada, anfractibus plurimis interrupta, indeque maximae latitudinis, exiguaeque profunditatis Moldaua defluit, quae annuis fere exundationibus vniuerſum ſolum Pragenſe vdum adeo reddit, vt ad mediocrem profunditatem fodientes aquam vndique inueniant, hancque ob rem nullae profundiores exiſtant caueae, haeque altiore nonnihil flumine omnes aqua merguntur. Pragenſes defectui huic cauearum ad conſeruationem carnium, cereuiſiaeque aliud ſubſtituere conantur medium, ac milliones aliquot librarum glaciei caueis ſuis imponunt, quae annue ſoluta humiditatem vni-

vniuerſi ſoli Pragenſis non parum adauget. Aquae autem hae omnes ſtagnantes, ac plus minus corruptae vaporum forma in aëra ſparguntur, ac inde nebularum copiam maximam aeſtate quoque efficiunt, et feruidiſſimos dies frigidiuſculae excipiunt noctes. Nebuloſus autem hic ac humidus aër rarioribus, mitioribus iisque vt plurimum ex NW. aut WW. ſpirantibus agitatur ventis, indeque eum humidum plus minus ſemper reſpiramus, et in eo degimus. His accedit, quod vniuerſus populus a tenera infantia cereuiſiam pro potu communi adhibeat, eamque ſolum collaudet ac expetat, quae lentore ſuo vitrum tabulae adfigat; quod pane non ſalito vtantur, quod piſcium ex lacubus, ſtagnisque, paſtarum farinacearum colloſtro ac caſeo paratarum, ac butyri, lacticiniorumque amor maximus vniuerſam Bohemiam teneat, ſicque mirum non ſit, his omnibus ex cauſſis fibras laxiores torpidioresque reddi, glutineque copioſiſſimo et primas et ſecundas vias obpleri, praeſertim cum ob defectum publicorum ambulacrorum plerique vrbanorum ſedentariam ſemper agant vitam, domeſticisque ſolummodo gaudiis delectentur.

Quantum haec omnia in ſanitatem hominum influere valeant, cuiuis notum eſt Pathologo, ſed quantum haec reuera in ſani-

ſanitatem Pragenſium influant, huic maxime notum ſit, qui antea praxin in ſicciſſima, ventis plurimis perflata, vino adfluente ac ambulacris publicis abundante Auſtriae metropoli praxin exercuit, et nunc Pragae exercet.

De impuritate vrbis, qua ob defectum canalium ſubterranearum ſanguis mactatorum animalium, quisquiliae vrbis, ipſaeque foeces hominum riuuloſe per publicas plateas decurunt quae gelu motum eorum ſtringente plateas longe lateque obtegunt, donec tepore vernali ſucceſſiue ſolutae bis putreſcentes partim in aëra ſpargantur, partim in Moldauam defluant; de Gothico illo praeiiudicio, quo hodiedum millia aliquot cadauerum quot annis in noſtrarum Eccleſiarum ſinum ſepeliuntur, de incommodo eo, quo aqua, quae vrbis partibus populoſiſſimis vniuerſim pro coctione, non paucis etiam pro potu eſt, ex Moldauae eo littore hauritur, quo paullo ſuperius omnes riuuli riuique foecum dimidiae nouae ac veteris vrbis influxerunt, indeque aqua palludoſa plurimo tempore in fontibus noſtris publicis inuenitur, de barbarie ea, qua Iudaeorum, ob inopiam aliunde impurorum numerus ingens in anguſtiſſimum ac viliſſimum vrbis angulum comprimitur adeo, vt qui pro ſe et numeroſa familia proprium poſſidet cubiculum, ſe domum poſſidere glorietur,

tur,

tur, de Iudaeorum horum impuritate, vt vrbem ſuam purgare omnimode negligant, ac inde foetor longe lateque redoleat, ne quid dicam, exhibiturus alias eruditiſſimo Frank elegans exemplar, quid politia medica non ſit.

Obiiciet forſan vnus alterue, prædicta ad morbos putridos magis quam pituitoſos diſponere, ac reuera in Bohemia plurimas de febribus putridis audiri querellas. Huic autem reponam, non facile adeo in corpore viuo ex cauſſis etiam pluribus, putredinis eum gradum naſci, qui febrem putridam producere valet, indeque mea opinione in genere febres putridas rariores longe obſeruari, quam vulgo dicitur; ſcio enim, hodiernis Boerrhauianis omnes febres, quae inflammatoriae non ſunt, putridas dici, indeque non verum ſemper eſſe febrem eam, quae pro putrida definitur, putridam etiam eſſe, cum ſub hoc nomine et pituitoſarum et biliofarum omnes ſpecies comprehendantur, indeque etiam fiat, cur hic ſuas putridas plurimis euacuantibus, ille cortice et acidis mineralibus, calefacientibus tertius, ſaponaceis refrigerantibus vltimus tractet, quiuis ſuam vnice laudet methodum, quae tamen diuerſiſſima cum ſit, in diuerſiſſimis etiam morbis adhibitam eam fuiſſe teſtatur. Non parum quoque, cur minor putridarum obſeruetur

fre-

frequentia, contribuit potus quotidianus cereris fermentatae, eiusque gelidae, auraque frigore magis, quam calore peccans.

In menſuranda conſtitutione temporis quoad calorem, leuitatem aut grauitatem, ventos, aliasque mutationes propriis obſeruationibus non vtor, cum occaſio obſeruationes has inſtituendi plurima deſit, ſed obſeruationes fidiſſimas Clariſſ. noſtri Aſtronomiae et profeſſoris et obſeruatoris D. Strnad adfero, quas mihi benigniter communicare volebat.

CAPVT I.

Aliqua de Epidemiis in genere.

Rem ſalubrem inſtituturus, id laboris maxime habebit, vt ante reliquum omne praeiudicia, quibus mentes praeoccupatae ſunt, oppugnet et deleat, ſubterfugium alias continuum dabitur, quo etiam veritatem luciſſimam eludant, et non cognoſcant. Si quo in caſu hoc neceſſarium fuerit, tunc certo in illo, quem nunc tractare ſuſcipio de morbis epidemicis. Communis enim noſtris practicis ea eſt ſententia, morbos epidemicos de raris eſſe contingentibus, requirere hos cauſſas aliquas ſingulares determinato in loco accidentes epidemiamque producentes, ita, vt epidemia et portentum, epidemia et afflatus numinis vindicis illis ſynonima ſint.

Hanc ſuper ideam fundant alteram, morbos omnes omni tempore eſſe, et manere eosdem, eſſe ergo etiam eandem ſemper adhibendam medellam, niſi quantum caſus cuiusuis

ſpecifici modificatio varia eandem variet, ſi qui ex obſeruatis ſuis eſſentialem differentiam morborum eorum, quos illi eosdem ſemper eſſe credunt, ad oculum demonſtrauerint, pro portento, pro epidemia et cometica adparitione declarant, poſt ſaeculi lapſum forſan iterum reditura. Si autem alii hanc differentiam conſtantem, certoque ordine quot annis plurimum recurrentem defenderint, de nouitate clamant, et haeretica contra Hyppocratem praxinque doctrina.

Minime vtique talia me offendunt in viris, qui ſcola, vbi talia docebantur, elapſi, moxque tumultuariae praxi immerſi de compienda ſua legendo doctrina et de obſeruanda ſollicite natura minime curii, ſed aegros ſolum ſectati, non experientiam in verba iurant magiſtri, ſed talia a viris doctis, quique ſe omni verbo, omnique pagina hyppocraticos iactant, proferri, hoc vtique indignationem mouebit omni veritatis amanti.

Argumentum quidem illud, haec ab Hyppocrate non fuerunt obſeruata, vel ab eo adnotata non inueniuntur, non induceret, vera et certiſſima non eſſe ea, quae a tot aliis et hodiedum et antiquitus viſa fuerunt, ſed haec hodierna obſeruata iam ab eo clariſſime edocta fuiſſe, hoc vtique et omnem ſuſpicionem ficti, eo magis adhuc noui remouet quam longiſſime.

Stupui inde pluries doctrinam, quae ante tot iam ſaecula a viro, cui in medicina honor

oraculi

oraculi defertur, non ſolum indigitata ſed clariſſime et doctiſſime explanata fuerat, per tot alia ſaecula fuiſſe neglectam impugnatam, pro nouitate et haereſi ignominioſe declaratam, idque a viris, qui ſeſe pediſequos diſcipulos et defenſores illius dicerent, et forſan etiam crederent.

Qui enim libros hyppocraticos et obiter tantum peruoluit, non poteſt non impingere in per omnem fere paginam diſperſum vnum alterumue textum hac de re loquentem, vt hi textus in vnum collecti reuera completiſſimam et a nullo nouo melius tractatam epidemiarum conſtituant doctrinam, idque textibus clariſſimis non artificioſe primo in hunc ſenſum diſtorquendis, vti hyppocratici filii adeo ſaepe facere conſueuerunt. Hos textus ergo ordine aliquo ſcientifico recenſebo, vt vniuerſa Hyppocratis de epidemiis doctrina cuiuis non hallucinanti clare pateat.

Lib. de aëre, locis et aquis §. I. dicit: Quicunque artem medicam integre adſequi velit, primum quidem temporum anni rationem habere debet, deinde ventorum calidorum, frigidorumue, maxime, qui ex his omnibus hominibus ſunt communes, et mox, qui in vnaquaque regione ſunt indigenae et proprii.

Quomodo hunc textum ipſe intelligat, paullo ſuperius lib de natura hom. §. XI. explanat, dicit enim ibidem: Pituita in homine hyeme augetur, quod demonſtratur, quia

homines pituitoſiſſima et ſpuunt et emungunt hyeme, et tumores laxi, albiſſimi fiunt, itemque reliqui morbi pituitoſi.

Vere pituita quidem fortis adhuc in corpore manet, ſed ſanguis augeſcit, nam frigora remittunt, et imbres ſuperueniunt. Sanguis autem iuxta haec augeſcit, ab imbribus videlicet, et calidorum dierum tempore, quod demonſtrant frequentes dyſenteriae, ſanguis ex naribus fluens, calorque ac rubor vigentes. §. XIII.

Bilis autem per aeſtatem et autumnum corpus poſſidet, vnde homines ſua ſponte hoc tempore bilem vomant, et in medicamentorum potionibus biliosa purgentur, et febribus et caloribus id magis adhuc manifeſtum ſit. §. XIV.

Sanguis autem autumno pauciſſimus fit, atra vero bilis autumno et plurima et fortiſſima eſt. §. XV.

Quam pulcre autem ipſe intelligat modum, quo variae hae mutationes in variis his anni temporibus accidunt, pulcerrime lib. de aëre, aqua et locis a §. XXV. ad XXX. vsque declarat, quae loca elegantiae cauſſa tota tranſcribam.

§. XXV. Caeterum de annis hoc modo conſideratione facta quis cognoſcere poſſit, qualisnam annus ſit futurus, ſalubrisne, an morboſus. Si enim ſecundum rationem fiant ſigna in aſtris occidentibus ac orientibus, et in autumno aquae fiant:

et

et hyems ſit moderata et neque valde clemens, neque modum excedens frigiditate: et in vere ac in aeſtate, tempeſtiue pluat: ſic ſane ſaluberrimum eſſe annum par eſt. Si vero hyems quidem ſicca ſit, et borealis, ver autem pluuioſum et auſtrale, neceſſe eſt aeſtatem febriculoſam fieri, et lippitudines inducere: quum enim aeſtus derepente accedat; terra humida exiſtente a vernis imbribus et ab auſtro; neceſſe eſt, aeſtum duplicatum eſſe, et a terra irrigua et calida, et a ſole vrente: cum ventres in hominibus nondum conſtricti ſint, neque cerebrum reſiccatum, non fieri poteſt, quum ver tale exiſtat, vt corpus et caro non humore fluida fiant, adeo vt febres acutiſſimae in omnes irruant, maxime autem in pituitoſos. At dyſenterias par eſt fieri et mulieribus et viris humidioribus.

§. XXVI. Et, ſi quidem circa canis exortum accedat aqua, ac tempeſtas, et eteſiae ſpirauerint: ſpes eſt ceſſationis, et vt autumnus ſalubris fiat. Sin minus; periculum eſt, ne et pueri et mulieres moriantur: minime vero ſenes, et ne qui ſuperſtites euadunt, in quartanas deſinant, et ex quartanis in hydropes. Si vero hyems auſtralis fiat, et pluuioſa et clemens, ver autem boreale et ſiccum, et tempeſtuoſum, primum quidem mulieres, quae vterum geſtant, et partus ipſis ad ver inſtat, abor-

tum

tum facturas eſſe veroſimile eſt: quae vero etiam pepererint, impotentes, ac morboſos pueros parere, ita, vt aut ſtatim pereant, aut tenues et debiles ac morboſi viuant. Atque haec quidem mulieribus: reliquis vero dyſenterias & lippitudines ſiccas, et aliquibus defluxiones a capite in pulmonem.

§. XXVII. Pituitoſis igitur dyſenterias fieri veroſimile eſt, et mulieribus, pituita de cerebro defluente, propter naturae humiditatem: bilioſis vero lippitudines ſiccas propter carnis caliditatem ac ſiccitatem: valde autem ſenibus defluxiones propter raritatem ac eliquationem venarum, adeo, vt aliqui quidem derepente pereant, aliqui vero ſemiſiderati, aut dextra aut ſiniſtra parte fiant. Quum enim hyems ſit auſtralis et pluuioſa ac calida, et corpus non adſtringatur, neque venae: vere accedente boreali et ſicco, ac frigido, cerebrum poſtquam ipſum diſſolui ac purgari contigit a grauedine ac raucedine, tunc ſimul cum vere ſtabilitur, ac conſtringitur. Quare derepente aeſtate accedente, et ardore, ac mutatione contingente, hi morbi incidunt. Et inteſtinorum leuitates, et aqua intercus fere reliquis morbis deſinentibus ſuperueniunt, quum non queant facile ventriculi a concepta humiditate exſiccari.

§. XXVIII. Si autem aeſtas pluuioſa ſit, et auſtro multum perfletur, ſimilisque

ſequatur autumnus; neceſſe eſt hyemem morbidam eſſe; et his, qui pituita abundant, et qui quadrageſimum annum exceſſerunt, febres ardentes fieri, veroſimile eſt: qui vero bile abundant, coſtarum inflammationes et pulmonum, pleuritides ac peripneumonias dictas. Si vero aeſtas ſicca exiſtat et borealis, ſequens vero autumnus pluuioſus et auſtralis; capitis dolores ad hyemem expectare conuenit, et cerebri corruptiones, ampliusque raucedines, grauedines et tuſſes, aliquibus etiam tabes.

§. XXIX. Quodſi borealis ſit autumnus ac ſiccus, et neque ſub cane, neque ſub arcturo pluuioſus; confert pituitoſis natura, et maxime, qui natura ſunt humida, et mulieribus. Bilioſis autem infeſtiſſimum hoc tempus exiſtit: valde enim exſiccatur, acciduntque eis lippitudines aridae, et febres acutae ac diuturnae, et aliquibus bilis atra: ſiquidem quod liquidiſſimum ac aquoſiſſimum in bile eſt, conſumitur denſiſſimum vero et acerrimum relinquitur, quod idem accidit ſecundum eandem rationem, et circa ſanguinem, vnde hi morbi his accidunt. Pituitoſis autem haec omnia commoda ſunt: exſiccantur enim, et in hyemem perducuntur, minime humecti, ſed reſiccati. Haec igitur, ſi quis mente concipiet, et conſiderabit; is praecognoſcit plurima omnino, quae ex huiusmodi mutationibus ſint futura.

§. XXX.

§. XXX. Maxime autem obſeruare oportet magnas temporum mutationes, vt neque medicinas in illis libenter exhibeamus, neque vramus, quae circa ventrem, neque ſecemus, priusquam praetereant dies decem, aut plures et non pauciores. Periculoſiſſima ſunt etiam ambo ſolſtitia, maxime vero aeſtiuum. Periculoſum etiam aequinoctium vtrumque; magis vero autumnale. Oportet autem et aſtrorum exortus conſiderare, praecipue canis, dein arcturi, et pleiadum occaſum: morbi enim in his maxime diebus iudicantur, aliique perimunt, alii vero deſinunt, aut in aliam ſpeciem, aliumque ſtatum transmutantur.

Nec ignoraſſe illum effectus tempeſtatum in partes varias docet textus in lib. de aëre, aqua et locis §. II.: Quodſi cui haec ſublimiora adpareant, is, ſi ab hac ſententia diſcedat, diſcet ſane non minimam partem conferre ad rem medicam, ipſam Aſtronomiam, ſed omnino plurimam, quum vna temporibus et ventriculi in hominibus mutentur.

Adfirmat inde lib. de humoribus §. V.: Qualia ſunt tempora, tales etiam erunt morbi et conſtitutiones ex ipſis; vt autem mox capias illum inter haec tempora non annum aſtronomicum, ſed phyſicam conſtitutionem aëris intelligere mox adiungit. Si tempora tempeſtiue et ordinate ſe habuerint, morbi iudicatu faciles fiunt; vernaculi autem

temporum

temporum morbi indicant mutationes, et prout euariauerit tempus, ſimiles aut diſſimiles fiunt morbi, qui in hoc tempore oriuntur; et clariſſime hoc explanat lib. de natura hom. §. XVI.: In anno autem aliquando hyems maxime viget, aliquando ver, modo aeſtas, modo autumnus, ſic etiam in homine aliquando pituita praeualet, aliquando ſanguis, aliquando bilis dum flaua, dein etiam nigra adpellata. Dein lib. de humor. §. VI. diſſerte dicit: mutationes maxime pariunt morbos, et praeſertim maximae, et in temporibus magnae mutationes, et in aliis. Quae ſenſim contingente progreſſu fiunt, tempora huiusmodi ſunt ſecuriſſima, velut etiam diaetae et frigoris et caloris maxime ſenſim facto progreſſu mutationes.

Tempeſtatis autem conſtitutionem ſolam non ſufficere ad morbum epidemicum in indiuiduis, et in vulgo producendum docet textus lib. de humor. §. III.: Noſſe oportet in quibus temporibus humores florent, et quales in ſingulis morbos faciunt, et quales in vnoquoque morbo adfectiones, et reliquum corpus, ad quem morbum natura ſua maxime repit.

Clarius adhuc id dicit lib. de humor. §. VI.: Naturae quantum ad tempora attinet, aliae ad aeſtatem, aliae ad hyemem bene aut male diſpoſitae ſunt, nec alias cauſſas epidemiae ſine praediſpoſitione corporis

actiuas

actiuas eſſe docet ſuperiore loco lib. de aëre, locis et aqua §. XV.: Peſſimae vero (aquae) quae ad auſtrum, et quae inter aeſtiuum ortum et occaſum. Et hac quidem ad auſtrales partes valde prauae ſunt, ad boreales vero meliores. His autem hoc modo vti conuenit. Quisquis ſanus eſt, ac valet, is nullum diſcrimen faciat, ſed ſemper eam, quae praeſens eſt, bibat. Quicunque vero morbi gratia, eam quae commodiſſima eſt, bibere volet, is ſi ita fecerit, maxime ſanitatem aſſequi poterit. Quorum quidem ventres duri ſunt, et idonei ad hoc, vt amburantur, his dulciſſimae et leuiſſimae conducunt. Quorum vero molles ventres, et humidi ac pituitoſi ſunt, his duriſſimae et crudiſſimae ac ſubſalſae aquae conferunt: ſic enim maxime reſiccari poterunt.

Circumſtantias demum adhuc alias concurrere ad epidemiam producendam vel fugandam adparet, ex lib. de humore §. V. vbi dicit: Modi morborum hi ſunt, partim quidam connati ſunt, partim a regione, partim ex corpore et victus ratione, ac temperiei conſtitutione, aut a temporibus. At regiones ad tempora male diſpoſitae tales morbos pariunt, quales tempori ſimiles fuerint. Et de eadem regionis ad producendum vel non producendum morbum facultate loquitur, lib. de locis, aqua et aëre §. I. vbi dicit: terra etiam ipſa conſideranda nudane

ſit,

ſit, et aquis carens, aut denſa et aquoſa, et an concaua ſit et aeſtuoſa, vel alta et frigida, et mox ſuperius: quare ſi quis ad vrbem ſibi incognitam peruenerit, circumſpicere oportet eius ſitum, quomodo ſcilicet ad ventos et ſolis exortum iaceat, non enim aequales vires ſunt ad ſeptemtrionem ſitae, et vergentis ad auſtrum, neque eius, quae ſolem exorientem et quae eundem occidentem ſpectat.

De ventis iam ſuperius primo in textu, quaedam indigitauit, ſed clarius de eorundem in epidemiae faciem mutandam actione loquitur, lib. de humor. §. VI. vbi monet: auſtrum auditum grauare, caliginem inducere, caput grauare, torpidum reddere ac diſſoluere. Dum hic praeualuerit, talia in morbis patiuntur, vlcera glabra, maxime os pudendum et aliae partes. Si vero aquilo, tuſſes, faucium adfectiones, ventres duriores, vrinae difficultates, horrores, dolores laterum ac pectoris.

Demum quantum etiam diaeta conferat ad adiuuandam aut impugnandam epidemiam docet lib. de humor. §. VI., vbi dicit: et in temporibus victus, et cibi, et potus qualitatem ſuam requirunt.

Diſtinctius haecce explanat lib. de aëre, aquis et loco, vbi §. I. adſerit: neque vero negligentiorem ſeſe circa aquarum facultates cognoſcendas exhibere oportet, et paullo inferius, hominum ſimul diaeta inquirendá,

da, qua maxime vtuntur, an bibuli ſint et lurcones et otio dediti, aut exercitiis variis vtentes et tolerantes laborem, ciborumque plus adpetentes quam poculorum. Nam qui haec omnia probe, quantum fieri poteſt, cognouerit, aut horum plurima, eum non latere poſſunt, cum in vrbem etiam ſibi ignotam peruenerit, neque morbi regioni peculiares et patrii, neque communis regionis natura, quaecunque tandem ea fuerit, vt non poſſit in cognoſcendis morbis dubius haerere aut errare, ſiccubi ad medicationem morborum adhibeatur. Quae ambo illis euenire ſolent, qui non prius prouidi haec diligenter cognouerunt; quare qui ea ſtudioſe rimatus fuerit, vniuscuiusque temporis ac anni conſtitutionem praedicere poterit, qui videlicet morbi communi adfectione ſint inuaſuri tum aeſtate tum hyeme.

Non video ergo quo iure et Galenus et plures alii Hyppocratem incuſent, ac ſi ille ex vnica tempeſtate morborum epidemicorum ortum deduxiſſet, qui manifeſte et locis et ſubiectis, et vitae normae eam in morbos epidemicos tribuit efficaciam, quam reuera poſſident.

Eadem quoque harum diuerſarum rerum diuerſa proportio, combinatio ac ſucceſſio in cauſſa eſt, cur nonnunquam ſub eadem tempeſtatis conſtitutione diuerſi morbi epidemici, ſub diuerſis tempeſtatibus nonnunquam eaedem epidemiae dominentur, non enim praeſens tem-

peſtas immediate morbum producit, ſed tantum praedictam ex praegreſſis temporum conſtitutionibus, locis, ſubiectis variis, et vitae norma oriundam praediſpoſitionem, ſiue vt loqui aliqui amant, inclinationem in actum deducit. Fiet inde, vt eadem praeſens tempeſtas reſpectu praegreſſae tempeſtatis, reſpectu huius ſitus loci, reſpectu horum ſubiectorum, et huius vitae normae ſit quam ſaniſſima, quae mutatis illis circumſtantiis fiat quam funeſtiſſima, alias enim, quo regularior eſſet tempeſtas, eo peiores deberent oriri epidemiae, cuius contrarium recte iam obſeruauit Hyppocrates.

Quae alios adeo angit difficultas, vnde ſub ſimillimis circumſtantiis morbus iam encephalon, iam pectus, iam abdominalia preahendat, cur iam ſub facie apoplexiae, iam phrenitidis, iam maniae, iam haemorrhagiae adpareat, me torquet minime, ſcio enim, quam parum interſit differentiae inter hos morbos topicos, ſcioque frequentiſſime morbum pro topico haberi, qui is minime fuerit, ſcio demum medellam inflammationis verae eandem eſſe, num caput, faciem, pectus, artus, anumue teneat, num ex hac inflammatoria humorum dyſcraſia oriatur apoplexia, phrenitis aut haemorrhagia; quae ergo varietas vltima morborum ab infinite paruis, indeque ſaepe vix obſeruabilibus circumſtantiis dependere poteſt, ſaepiſſime autem a praegreſſa topica debilitate partis adſectae dependet.

Sed

Sed mira illa ac varia praedictarum cauſſarum proportio, combinatio et ſucceſſio efficit, cur facies epidemiarum adeo mutetur, vt et Sydenhamus pluresque alii falſi fuerint, ſeſe cognitis nonaginta nouem, nondum cognoſcere centeſimam; ſed facies tantum et forma adeo in infinitum mutatur in epidemiis, natura autem eorum morborum diuerſa adeo non eſt, quantum creditur.

Spem concipio maximam fore, vt experimentis hodiernis de aëre factis, et ad machinam animalem adplicatis haec pars pathologiae de epidemiis inclareſcat quam maxime, quae a plurimis pathologis et practicis adeo negligitur.

Miror ſolummodo, factum quomodo fuerit, vt iidem, qui effectum calidi et frigidi, humidi et ſicci in doctrina pathologica ampliſſime edocent, et edocti fuerant, ipſiſſimi ii negligant doctrinam hanc practice ad ſtatum varium aegrorum adplicare, neque adtendant frigus glaciale hyemis cum reliquis tunc obuenientibus occaſionibus coniunctum alium longe ſtatum ſolidorum et fluidorum inducere debere, quam calorem ardentem ſyrii, indeque morbos ſub illo tempore obuenientes natura ſua differre debere quam longiſſime a morbis aeſtiuis.

Datur ergo reuera perpetuus aliquis morborum epidemicorum circuitus, quorum tamen ordo, proportio, duratio ac facies externa pro ratione diuerſarum circumſtantiarum mirifice variat, indeque eos, qui externis ſolum inhaerent, eſſentiam vero negligunt, facillime fallat,

lat, vnde tot hiſtoriae nouorum morborum.

Euidens quoque ex praxi ſacræ antiquitatis, et hodierna eſt, humorum illorum quatuor ab Hyppocrate ita dictorum dominium figmentum non eſſe, ſed corollarium ex ipſis infinitis obſeruationibus et ſano iudicio deſumtum, firmum et practicum; eumque medicum, qui ad haec adtenderit, facilius morborum forma ſua intricatiſſimorum curationem inuenturum, quam alium haec negligentem, morborum etiam ſimplicium. In demonſtrationem huius rei ad praxin me prouoco, et aduerſarios ad id ſolum adtentos eſſe velim, ab omni aeuo hodiedum vsque medicos, diuerſiſſima contra morbos creditos eosdem, vſos fuiſſe medella, hos et illos de felicitate ſuae methodi gloriari, teſtesque optati euentus producere, quod vtique impoſſibile fuiſſet, ſi illi et hi morbos natura ſua eosdem tractandos habuiſſent. Prouti ergo methodus ſtricte dicta antiphlogiſtica e contrario obpoſita eſt methodo antiſepticae ac ſudoriferae ac catharcticae, ita et morbi illi, qui V. Sbus et emollientibus curabantur, debuerant e contrario obpoſiti eſſe illis, qui emeticis, antiſepticis vel ſtimulantibus ſanabantur, vel fides hiſtorica authoribus omnibus, vel efficacia remediis his noſtris principibus negari omnimode deberet, quod binum vtique ab homine ſanae mentis tentabitur nunquam.

Sed natura ac eſſentia ſua contrarii ſibi vtut ſint hi morbi, non impedit id, ne tamen

coniungi

coniungi bini aut plures ſimul, et ſemel in eodem ſubiecto poſſint, vnde hic morbus compoſitus de vno et altero participet, quod neceſſario oritur, ſi v. g. diſpoſitioni morboſae, biliosae accedat cauſſa valida humorum diatheſin inflammatoriam producens, v. g. gelu ſtringens, vel viciſſim in corpore plethorico cauſſae aliae corruptionem variam bilis efficiant, vnde in ambobus caſibus erit morbus miſtus ex inflammatorio et bilioſo; vel calor, humores et ſolida exurens teneat homines lenta pituita turgentes, nonne mouebitur inde lege phyſica pituita circulare neſcia, indeque obſtructiones inflammatoriae orientur participantes ſemper et de pituitae indole, et de acriore facta per exuſtionem bile, quae miſcela cum ex cauſſis infinitis poſſit variare proportione et gradu fere in infinitum, alteram praebet rationem, cur morbus morbo aequalis non ſit, et cur adeo ſaepe de morbis nouis conquerantur medici.

Sunt adhuc practicorum alii, qui ſimplices illas morborum epidemicorum differentias non admittunt ſolum, ſed et obſeruationibus propriis confirmant, negant autem compoſitiones horum morborum inter ſe, hos quidem ex mox dictis, et ex ordine illo naturae vniuerſali per gradus infinite paruos de re ad rem aſcendentis ex prioribus conuincere iam poſſem, per inductionem probans, quod quam rara adpareant in hominibus temperamenta ſimplicia, ſed vbiuis omnium hominum temperamenta paſſim ſint compoſita, ita et morbos raro ſimplices eſſe

poſſe,

poſſe, ſed plerumque compoſitos eſſe debere, ſed efficacius illos propriis ſuis armis impetam, quid enim, ſi iam in febre bilioſa venam ſecant, et reſecant, iam in febre bilioſa eandem ſecari vetant, aliud et ipſi innuunt, niſi ibi vnacum diatheſi bilioſa ſimul coniunctam fuiſſe cum ſtatum fluidorum et ſolidorum, qui V. S. requiſiuerat, nempe ſtatum inflammatorium, in ſecundo autem caſu bilioſam febrem ſolam fuiſſe; quidſi adhuc per illam V. S. ſanguinem extraxerint cruſta lardacea fimbroſa praeditum? ſi dein emetica aut catarctica multam bilem exturbantia ſubiungunt? agunt vtique tunc ipſi, vti in compoſita tali febre agi debet, vtut compoſitionem ipſam negent.

Metuo fore, qui authoritatem egregii Haenii mihi opponant, vtpote, qui febrem nullam praeter inflammatoriam, et nonnunquam putridam obſeruauerat, admiſerat; huic enim dicam, nullibi forſan elegantiorem deſcriptionem febris pituitoſae et bilioſae inueniri, quam in fidiſſimi huius obſeruatoris diariis, qui ſcyllam Viennenſium practicorum euitare volens, incidit in charybdim, Viennenſes enim, vti Haenius recenſet, paſſim omnibus febribus emetica ac purgantia opponebant, vbiuis ſaburram primarum viarum ſuſpicati, et Haenius hunc abuſum remediorum merito reprobans, nullibi fere hanc ſaburram exiſtere defendit.

Ne autem iniurius contra egregium virum videar, ex propriis ſuis codicibus inter plures

caſus aliquos depromam, efata mea comprobantes.

Quis enim non facile in caſu primo capitis primi tomi XIV. inter inprouiſa relato videt, morbum minime inflammatorium ſimplicem dici debuiſſe, ſed et ſimul bilioſum? ſi enim ortum mali cum dolore capitis diſſilientis, ſi progreſſum mali cum dolore graui praecordiorum ſeu epigaſtrii, cum vomitu frequenti, aluoque tandem aeruginoſa, ſi exitum morbi ſub quatuor largis V. Sbus, remediisque oleoſis, ac emollientibus in mortem, ſi viſam in cadauere pſeudomembranam ſerumque copioſum effuſum, ſi gangraenam et inflammationem ventriculi, et liuens circa veſiculam felleam hepar et inflammatiſſimum praeſertim circa veſicam felleam peritonaeum conſideres; clare natura mali patebit; patulumque fit, tot loco V. S. emeticum vnum, alterumue felicius egiſſe.

Sed in ſequentibus caſibus euidentius id adhuc fiet; quia ſolertiſſimus cadauerum ſcrutator in his cauum quoque inteſtinorum inueſtigauerat.

In eodem tomo, eodem capite inter improuiſa refert caſum, vbi iuuenis 18 annorum alias verminoſus, Iunio menſe febre corripitur, cum dolore totius dextri lateris et ventris vniuerſi, noctibus inſomnibus, diarrhaea cum frequentius prodeuntibus lumbricis, dyſpnaea maxima, vrina continuo ſedimentoſa, et qui poſt 6 V. Snes optime habere viſus, inopinatim ſub vociferatione continua, pupillarum, anique dilatatione

ſumma,

ſumma, et vomitu frequenti moriebatur. In cadauere corpus delicti facile inueniebatur, etenim colon adcaecum vsque plenum flaua ac pultem referente materie fuit. Ileum inteſtinum a valuula ſurſum ſesqui ulnae longitudine repletum erat, pultiformi ſtercore lateribus per ambitum adhaerente, pluresque inflammatae in illo loco plagae, et in ilei plagis quatuor, vermes numero ſex.

An vermes, an potius ſaburra viſcida inteſtinorum cauſſa tanti mali? et num 6 adhuc aliis V. Sbus inflammatoria ea diatheſis ſopiri potuiſſet, quae continuo a ſtimulo ſaburrae denouo accendebatur? an nomen inflammatorii meretur hic morbus, qui manifeſte ſaburroſus ſolis emeticis et frequentius repetitis catharcticis cedere potuiſſet? En adhuc ſimilem tertium et quartum caſum.

In rationis medendi continuatae tomo III. ſectione I. caſus primus narratur de foemina, quae vere an. 1774 a foetore cubilis, in quo domina ante decem dies febre petechiali mortua erat, horrore ſaepius redeunte, cum calore alternante, laſſitudine, cephalalgia, nauſea, ac deleto appetitu correpta fuit, quod illa increſcente per 22 dies morbo, nauſea, flatibus, borborygmisque enormibus, vomitu frequenti, glutinoſo, ſapore foetidiſſimo, faucibus muco putrido pleniſſimis, febreque valida ac quotidie exacerbata laborans, poſt 9 largas V. Snes, veſicantia, antiphlogiſtica, Cort. Peruvia. et rara et debilia purgantia placide exſpirauerit.

Cadauer monſtrauit inteſtinum ileum maculis multis nigris variegatum, plenumque materie faecali a ſuo in colon introitu, ad vlnae vsque longitudinem, flexus lienalis attingebat coſtam quintam a ſuperioribus numerando, amplumque valde ibidem erat, ac copioſas et duras faeces continuit.

Nullam cauſſam impeditae deglutitionis viderat obſeruator, fauces modo multus ſpiſſusque obſidebat mucus.

Sic morbus pituitoſus pro inflammatorio habitus, et tractatus indubitatam inducere debuit mortem.

Eodem loco caſus quintus eſt puellæ, quae vere quoque anni 1775 febre tali pituitoſa inflammatoria correpta, a V. S. ſemper peius, a ſpontaneo et nonnunquam per ſquillam et chermetem producto vomitu ſemper melius habuit, et tandem poſt vndecim largiores V. S. omnemque oleoſorum, mucilaginoſorum, anodynorum, pectoraliumque remediorum cateruam ſtertoroſa ſuffocata interiit.

Videmus ex his omnibus illuſtrem Haenium bene quoque febres pituitoſas, bilioſasque obſeruaſſe, ſed nimium ſuo ſyſtemati addictum, et nudam non vidiſſe veritatem, indeque eius authoritatem non contra, ſed pro differentibus eſſentialiter naturis febrium pugnare.

CAPVT

CAPVT II.

Conſtitutio anni 1780 bilioſopituitoſa finientis hyemis et vniuerſi veris.

NOVEMBER 1779.

Menſis hic flante Euro principium ſumſit nubila tempeſtate, coeloque obducto; per vniuerſum tamen menſem flatus habebantur Auſtrini tepidique.

Die 6ta pluuiae cum nebulis alternabant, aëre, vt plurimum pacato.

Die 15ta niues cadentes, et pluuiae copioſae miſtae habebantur, ab eaque die, aëre pacato coelum obductum, nubibusque deturpatum conſpiciebatur, donec 22da die menſis niues ingruentes cum pluuia cumque nebulis vertentes eundem finirent.

Die 1ma Nouembris veſperi altiſſima Barometri ſtatio fuit . . 27 poll. 7 lin. 5 cent.

Die 26ta veſperi maxima eiusdem depreſſio . . . . 26 poll. 8 lin. 8 cent.
media altitudo . . 27 poll. 2 lin. 10 cent.

Die 7ma mane calor maximus habebatur . . . . + 10° . 0'

Die 25ta eiusdem minimus in 0.
medius caloris gradus erat . . + 5° . 50'.

DECEMBER.

DECEMBER.

Menſis hic auſtro flante, pluuiisque cadentibus exorſus, coelo obducto, nubilaque tempeſtate ad 28vam menſis huius continuabat, ubi niues tandemque pluuiae decidebant, gelu non exiguum noctu ad diem vsque ſequentem continuans flante Euro habebatur.

Die 10ma coelum habebatur obductum, nubilum, nebulisque refertum, ſuccedente menſis 21ma imbre et niuibus per triduum decidentibus.

Ad finem menſis coelum ſerenum, aër pacatus, geluque notabile.

Die 30. Decembris mane altiſſimus erat mercurius in barometro 27 poll. 10 lin. 4 cent.

Die 22da mane idem erat infimus
. . . . 26 poll. 6 lin.
medius erat . . . 27 poll. 2 lin. 20 cent.

2da die menſis veſperi calor maximus habebatur . . . . . + 10° . 0'
minimus . . . . . — 2° . 4'
medius . . . . . + 4° . 2'.

IANVARIVS 1780.

Annus hic gelu notabili, coelo ſereno, et aëre pacato exorſus, mox 3tia diebusque ſequentibus flante auſtro, niuibus raris per interualla cadentibus deturpatus, frigore omnino remittente.

Die 8ua Ianuarii regnante Euro nebulae non magnae, ſequentibus tamen diebus intenſiores, mane et veſpere redeuntes cum frigore ſatis intenſo habebantur. Fluuii congelatio remittebat 17. 18. 19, cum nebulis potiſſimum deciduis omni die redeuntibus, frigore dein aucto, coeloque obducto.

26ta frigore miteſcente, niues copioſae deciduae, continuaeque, flantibus Euro, Zephyroque menſem finiebant.

Die 1ma Ianuar. veſperi maxima Barom. altitudo fuit . . . 27 poll. 8 lin. 8 cent.

Die 18. mane minima 26 poll. 7 lin.

media vero . . . . 27 poll. 1 lin. 90 cent.

Die 19. veſp. calor maximus + 4°. 0′

Die 15. mane minimus — 15°. 4′

medius . . . . . — 5. 70′.

F E B R V A R I V S.

Primum menſis dimidium coelo potiſſimum obducto, pacatoque aëre gaudebat ac frigore ſatis intenſo, ſi diem 7. 8. 9. 10. 11. exceperis, vbi tellus iam ſub aëre pacato, iam flante Aquilone nebulis craſſis, denſisque inuoluta erat.

Die 15ta ſerenum erat coelum, mox tamen 21ma niuibus ſuccedentibus copioſis, nebulis denſis, nubibusque reliquus menſis alternabat.

Die 27ma niues habebantur continuae, mox in pluuias fatiſcentes, flante Zephyro, quo vehe-

vehementiore facto niues cadebant copioſiſſimae, frigus intendebatur magnopere, glaciesque multa conſpiciebatur.

☾ Die 29na coelo nubibus deturpato ſucceſſere pluuia continua, flante Zephyro, cum tepore.

Die Februarii 10ma mane altitudo Barom. ſumma erat . . . 27 poll. 10 lin. 5 cent.
26. die minima 26 poll. 10 lin. 5 cent.
media . 27 poll. 4 lin. 50 cent.
Die 29. veſp. calor maximus + 4° . 5'
Die 1. minimus obſeruabatur — 16° . 2'
medius . . . . — 7° . 80.

MARTIVS.

Primis diebus pluuiae copioſae, quibus vltimi Februarii dies deſinebant, continuauere, coelum nubibus deturpatum conſpiciebatur, flatibus Zephyri perſiſtentibus.

Diem 8vam et ſequentes aura ſerena, puraque commendauit, flantibus Aquilone et Auſtro.

Die 15ta nebulae cadebant denſiſſimae, quae continuae, cum pluuiis alternantes, coelum nubibus obducebant; vix aliquot ſereni dies habebantur.

Die 24ta vltimo niues cecidere copioſae et continuae, praegreſſo imbre et pluuiis copioſis, frigus intenſum, aquae glacie tectae obſeruabantur. Vltimi menſis dies calore aucto, nebulis nubibusque coelum obuelabant,

ſuccedente

ſuccedente 31ma menſis eiusdem die pluuia plácida ac denſa, ſpirante Auſtro.

Die 11ma Martii mane Baromet. maxima altitudo fuit . . 27 poll. 10 lin.

Die 16 veſperi minima eiusdem fuit altitudo . . . . . 27 poll. 1 lin. 5 cent.
media . . . . 27 poll. 5 lin. 75 cent.

Die 30ma veſperi calor habebatur maximus . . . . + 15° . 8′
Die 25. mane minimus — 2° . 0′
medius erat . . + 6° . 90′.

APRILIS.

Coelum ſub menſis initio obductum nubibus, ſpirante Zephyro habebatur. Pluuiae nocturnae frequentes.

Die 6ta coelum ſerenum, pruina plantis animalibusque infenſa, aër pacatus, abque ea die aura ſerena vsque dum 14ta placide ac denſe plueret; hinc coelum obuelari, tellusque pluuiis inundari coepit diutius.

Die 25ta obduci denuo coepit coelum, ante aliquot dies ſudum; ventus ſpirabat vehemens imbre ſubſecuto et grandine, flante Zephyro.

Vltimi menſis dies calore increſcente, coelo obducto pacatoque tranſigebantur.

Die 22da mane mercurius altiſſimus . . . . . 27 poll. 6 lin. 2 cent.
Die 4ta infimus 26 poll. 8 lin.
medius 27 poll. 1 lin. 10 cent.

Die

Die 30ma veſperi calor maximus
. . . . + 16° . 3′
Die 8ua minimus . . — 2 . 5′
medius . . . + 6 . 90′.

Cauſſas, cur generatim omni tempeſtate morbos pituitoſos frequentiores longe hic Pragae quam Viennae abſeruarim, ſuperius iam recenſui, quae autem fuerit ratio, cur ſub frigore brumali totius Ianuarii et Februarii febres huius indolis lentae aut ſimplices aut bile miſtae obtigerint, facile ex temporum conſtitutione deriuari poterit, autumnus enim finiens, et incipiens hyems anni 1779 madore, et tepore ſuo adeo bilem ab aeſtate praegreſſa paratam non correxerant, vt potius laxatis nimium ſolidis, euacuationeque cutanea ſubpreſſa, eam fouerint, et in morbum complicatum ex bile et pituita mutauerint.

In recenſenda hiſtoria morbi obſeruati longus ne ſim, vetat iam dudum cognita eruditis huius mali facies; ſed quid ſub morbo pituitoſo autillioſo intelligam, breuibus declarandum venit, cum nondum omnibus eadem de his morbis ſit mens.

Axioma mihi eſt pathologicum, morbos eos modificatione ſeu forma tantum, non re diuerſos eſſe, qui eandem ſibi requirunt medellam, diuerſos econtra eſſentialiter eos eſſe, quibus contraria neceſſe fuerit medicatio. Non id ita intelligendum eſt, vt morbi, quibus eadem remedia opitulentur, etiam iidem eſſe debeant, omnis

omnis alias morbus, qui ☿° curatur, venereus, omnis, qui cortice fugatur, intermittens eſſe deberet, ſed ſermo hic eſt de medella non de remedio, quae medella iisdem remediis ſaepe diuerſa obtinetur, ſic ☿° vti poſſumus, qua remedio ſoluente, qua euacuante, qua ſpecifico antiuenereo &c. Hanc iuxta regulam non omnis humorum gaſtricorum corruptio mihi ſub nomine morbi bilioſi venire poterit, ſed, quia lentis viſcidisque his ſoluentia ac incidentia acria, tenuibus autem acribusque diluentia ac ſaponacea, blanda, acida opponere, ac in illis quam diutiſſime ſoluentibus et euacuantibus, in his citius roborantibus mederi debeam, merito inter ſaburram viſcidam, lentam, pituitoſam, alteramque tenuem, mobilem, acrem, bilioſam differentiam facio eſſentialem, quam et ipſa inter hos morbos facit natura; initium enim progreſſus et perſaepe etiam finis horum binorum morborum ſibi inuicem ſunt plane diſſimiles.

Dantur quidem perſaepe caſus compoſiti, vbi et acrimonia bilioſa, et viſciditas pituitoſa corpus obſident, ſed inde magis natura horum binorum diuerſa patet, nam ſimilia ſibi coniuncta nil niſi quantitatem, non rem mutant, in tali autem complicatione rem ipſam mutatam eſſe docet mutata tunc iterum medella, et de vna et de altera methodo participans.

Epidemia noſtra hyemalis fuit reipſa talis ex bile et pituita complicatio, vti docuit horroris diuturnitas et frequentia, caloris et rubo-

ris

ris vaga inconſtantia, exacerbatio ſymptomatom nocturna, lingua flaua, aut rubra ſed praeglabra ſimul, longitudo demum morbi diarrhaea aut vomitu finientis.

Exemplum tum noſtrae methodi tum ipſius morbi ſequens dabit caſus. Delatus ad nos fuit 22da Februarii pannorum fabricator 26 annorum ac neomaritus, qui poſt iram vehementiorem horrore longo et per triduum inter calores frequentiſſime repetente correptus fuit; anorexia praeterea, ore albo mucoſo, ſapore immutato cum morſu ventriculi aderat, et caloris, ſitis et cephalalgiae quotidiana nocturna exacerbatio. Ob pulſum cum robore durum V. S. vnc. viij. celebrauimus, ſanguinemque inuenimus naturalem, dabatur dein miſtura ex cremor. tart. arcano duplicato et aqua ea doſi, vt intra 24 horas ãã dra. jſſ. horum ſalium abſumeretur, multusque ſimu potus cum aceto et melle paratus. Die ſexta morbi dolor ventriculi auctus, nauſea omnis adſumendi, alnus terna liquida, et tuſſis aliqua vomituritionis cum motu, emetico iam locum eſſe docuerunt, a quo vomuit copioſiſſima, viſcidiſſima flaua, amara. Non id tamen inde ſequebatur leuaminis, quod in aliis ſaepe aegris obſeruauimus, ſed nox exacerbatione priſtina foedabatur, et vtut praeter priorem miſt. ſalinam adhuc vteretur tamarindorum decocto, febris non ſolum pergebat eadem, ſed 7ma die maculae petechiales, 9na dolor faucium cum raucedine, aluusque tenesmoidea parca, ſuſurrus aurium,

12ma ſubſultus tendinum accedebant; data tunc quotidie aqua laxatiua vien. fuit ſalis mirabilis aliquot drach. actuata, vnde per triduum ſubſequens copia ingens foecum viſcoſiſſimarum, foecibus cereuiſiae ſimilium educta fuit cum inſigni leuamine tum febris, tum doloris capitis, tum ſubſultuum tendinum, qui tunc ſeſe ſolum adhuc ſub exacerbato calore nocturno manifeſtarunt. Ob tuſſim cum ſputis parcis ac tenaciſſimis coniunctam, febrimque nondum omnem euanidam, datum ſerum lactis paratum cum aceto antiſeptico et oxymele ſquillitico, vnde ſputis facilioribus et largioribus, ſudore quotidiano nocturno iudicatus, 19na morbi die ſanus abiuit.

Me timidiore medella morbum huius hominis prolongaſſe, conceſſero facile, metus enim latentis, in homine iuueni ſanguineo, pulſumque durum habente, inflammationis me ſub frigore brumali tunc a pluribus ſeptimanis obtinente, ab actuoſiore et frequentiore euacuante deterruit, quod probabilius die octaua morbi repetitum, plurimam partem mali abſtuliſſet, et morbum multum abbreuiaſſet.

Mirum certo eſt, quomodo blandus caeterum humor mucus et gluten tantum exſerat ſtimulum, vt non ſolum varia ſymptomata circa primas vias, circa neruos, ſed etiam circa actiones vitales producere valeat; ſed ceſſabit mirari, qui naturam animalem nonnil propius conſiderat, videt enim ille, non ſolum illud qua nociuum agere ſtimulum, quod

ſtricto

ſtricto in ſenſu acris nomen meretur, ſed ſuffi- cere, vt humor aliquis in ſe blandiſſimus ad partem aliquam ſenſilem, cuius incola naturaliter non eſt, deponatur, vt inde omnes proueniant effectus ſtimuli acerrimi, teſtibus innumeris obſeruationibus; ſed etiam humor parti alicui inquilinus aut copia excedens, aut quocunque modo a naturali ſua conſtitutione alienatus, vtut ſenſibus noſtris acer non ſit, acrimoniae effectus in neruos et fibras vitales exſerere valet, teſte fletu, teſte diabete, quibus tantum copia humorum oculo, et viis vropoeticis inquilinorum augetur, et copia hac aucta neceſſario acrimonia intrinſeca minuitur, et tamen pruritus ruborque oculorum, ac ſtrangurioſus mictus morboſum his partibus ſtimulum adplicari docet; blandus ergo in ſe mucus ſola copia in primis et ſecundis viis peccans febri mouendae par eſt, idque eo magis, ſi mucus hic a ſtatu ſuo naturali ſimul deflexerit, vti id ingratus eiusdem vomitu eiecti odor nonnunquam factum fuiſſe docet. Summe huius rei incredulum, quales plures noſco, ſequens potuiſſet conuincere caſus: vocabatur amicus mihi collega ad foeminam iuuenem, quae, neſcio quam ob cauſſam, plures de die drachmas gummi arabici per longius tempus aſſumſerat, et quae non ſolum faſtidio, pondere ventriculi, leuibus lipothymiis, ſed et dolore vago totius corporis, ſpasmis hyſtericis, febre demum ipſa adficiebatur, donec viſcidiſſimum gluten per anum et os copioſis euacuantibus exturbatum fuerit.

Sunt

Sunt tamen plures adhuc practici, qui audito nomine febris pituitoſae de nouitate clamant, et ſunt tamen ii ipſiſſimi, qui peripneunoniam pituitoſam, ſeu notham dictam; qui apoplexiam pituitoſam agnoſcunt, hoc eſt, negant genus, conceſſis tamen ſpeciebus genus illud formantibus.

Frequentia magna ſimilium pituitoſorum morborum tunc temporis vniuerſam fere tenuit vrbem, qui morbi plerisque putridi audiebant, cortice autem et acidis mineralibus peiorabantur inſigniter, euacuantibus autem egregie leuabantur.

Exempla horum morborum copioſiſſima tunc habui in orphanotropio noſtro, vbi nempe 45 infantes, et ipſe illorum paedagogus hac febre laborabant.

Pauciſſimis venam ſecui, omnibus emeticum, nonnullis etiam ternum exhibui, interpolato decocto taraxaci cum ſale ammoniaco, rariſſime veſicante ob ſoporem aut rheuma aliquod indigui, amarisque ſtomachicis medellam clauſi, eo euentu, vt ex his 46 aegris nullus deſideraretur.

Cur domus haec tot aegris fuerit infamis, ratio erat, quod pro tot infantibus anguſtiſſima domus in regione profundiſſima et ſpurciſſima vrbis ſita fuerit, infantes largiter cibati nullum exercuerint motum, ſicque et ſaburram crudam, viſcidamque, et laxitatem inertem ſolidorum contraxerint. Factum inde etiam, vt benefactores huius domus hocce periculo territi iam

ſerio

ſerio de mutanda domo cogitarent, cui demum proſpexit immortalis ac benignitate ſuperos aequans piiſſimae memoriae Imperatrix Maria Thereſia, latiſſimam, vaſtiſſimo horto iunctam et optime ſituatam orphanis donans domum.

Quantum imperii autem dominans epidemica conſtitutio in quemcunque obuium haberet morbum, ſequenti in occaſione pulchre vidimus.

Puer 13 annorum optime valens, puerili impetu per glaciatam Moldauam gliſcens, maxima vi in fruſtum ligni regione hypochondriaca dextra irruit, vnde validiſſimum ob dolorem concidit, aqua frigida autem perfuſus ad ſe rediens, domum ducebatur. Ibi ſine remedio, ſi vnctionem excipias, biduum in lecto conſumpſit. 22da Februarii in noſocomium ſuſceptus fuit; doluit tunc non ſolum in loco contuſionis, ſed etiam per vniuerſum id latus thoracis; nil autem laeſi aut contuſi inuenitur, tuſſit ſicce, violente, frequenter cum concuſſu fere conuulſiuo totius corporis ob doloris in tuſſi ferociam, reſpiratio ipſa anheloſa, valdeque dolens, pulſus celer, fortis, durus, lingua parum alba, aſpera, facies et reliquum corpus ictericum, oculi tamen puri. Secui venam ter, ſanguis primae V. S. naturalis fere, binarum alterarum ſine cruſta ſolidiſſimus, duriſſimus; adhibui fomenta, clysmata, miſturas, potumque emollientiſſima nullo cum leuamine: tandem 25ta ob dolorem, tuſſisque quoti-

dianam

dianam nocturnam ferociam ad conuulſiones vsque tendentem, clyſmatibus emollientibus addebatur gra. i. opii, vnde et dolores et tuſſis egregie moderabantur, vnde etiam clysma tale mane et veſperi iniiciebatur; remiſerunt calor, dolor, tuſſis, et pulſuum durities, ſed nondum penitus ceſſarunt, ſed 28va poſt ſomnum pacatum, ſponte ter vomuit aeruginoſa viſcidiſſima, indeque et dolor et tuſſis omnino euanuit, et ipſe etiam icteriticus color.

Inter hos, et plures alios aegros maxime conſtantia obſeruaui ſequentia ſymptomata, horrorem grauem, per plures dies pluribus vicibus repetentem ita, vt primo integro fere triduo plus friguiſſe quam caluiſſe ſeſe dicant, dolorem grauatiuum capitis, et de quo maxime conqueruntur, pectoris, dumque locum indicare dolentem debent, manifeſte ventriculum deſignant, qui etiam, vt plurimum tumet, et ad attactum dolet, exacerbationes veſpertinas omnes habuerunt, varias, non ſemper tamen cum horrore incipientes, plurimi de ore paſtaceo, pauci de amaritie conquerebantur, linguaeque omnium fuerunt humidae, plus minus viſcoſae glabrae, iam albae, iam rubrae, rariſſimae flauae, pulſuum frequentia ingens emetico ſaepe miraculoſe ad ſanorum normam redigebatur, et longiſſimus omnium morbus ad 24tum diem vsque prolongabatur.

Non abs re erit caſum hic aliquem adferre, qui nocuum hoc in morbo opii vſum, quod ob tuſſim ferocem noctesque vigiles non-

nunquam adhibetur, clariſſime doceat. Foemina 24 annorum, duarum prolium mater, a marito fluore virulento donata, moerebat triſtem ſuum ſtatum; acceſſit filii vnici et amatiſſimi morbus grauis, vnde moerori ſuo, et ſollicitudini maternae ferendis impar, aliquot iam diebus difficulter membra ſua protrahens, tandem ſimilibus per triduum repetentibus corripitur horroribus; ſuaſu chyrurgi, qui fluori albo medebatur, ſumſit purgans, a quo decies et vltra purgata, nil aliud ſenſit emolumenti, quam vt calores iam nunc continuo, maxime autem noctu furerent, fluxusque albus vna cum tunc inſtantibus menſibus ſubſiſteret, et maculae petechiales vniuerſum obſererent corpus. Vocatus ego, exhibitis ſoluentibus adtenuantibusque do emeticum, quod viſcidiſſimam ac amariſſimam eduxit ſaburram, tanto cum leuamine, vt noctu exacerbatio longe minor eſſet, febrisque vniuerſa intenſe remitteret, vnde decoct. tamarindorum cum ſale medio ſubiungebatur; his ſic ſtantibus 9na morbi die mane accedenti dicitur, aegram hac nocte octo horis perbelle dormiuiſſe, ſudaſſe, et ſepties vomuiſſe aeruginoſa, dormire eandem nunc iterum; video et ipſe dormientem placide. Veſperi ad aegram redeunti, obuiat mihi ſeniculus, aegrae pater, faſtuoſeque gloriatur, ipſum, non me filiam ſuam curaſſe, idque pillulis ſibi uſitatis, quae a circumforaneo aliquo hic venduntur. Sub his ad aegram aduenimus, ſtupemusque illam delirantem, valde febrientem, ac ſubſultibus tendinum laborantem;

hisque

hisque omnibus continuantibus et auctis 15ta morbi die exſpirauit.

Conſtat, pillulas has opio diuites eſſe adeo, vt in vna pillula gra. i. eius medicamenti ſit, exhibuit autem filiae, paterno amore exitialis ſenex pillulas duas die octaua morbi ad noctem.

Frequens in his morbis ſymptoma erat dolor pleuriticus, ſed in mollibus hypochondriis ſitus et attactum non ferens, quique ſaepe ſolis emeticis, nonnunquam his non, certiſſime tunc veſicanti ad locum adhibito ceſſit.

In nullo orphanorum exanthema prorupit, in pluribus autem noſocomii aegris id accidit, ratio huius eſt, quod illis illico ab initio aptam adhibuerim medellam, his autem ante acceſſum in noſocomium aut vena aliquoties ſecta aut purgans aut ſudoriferum datum, aut morbus per plures dies neglectus fuerit.

CAPVT III.

Conſtitutio aeſtatis 1780.

MAIVS.

Dies 2da Maii fulgure, crebrisque tonitribus, non tamen fortibus inhorruit, pacato aëre; hinc vsque ad 12mam vix vlla dies ſerena habebatur, ſed omnes nubibus, pluuiisque deturpatae, flatibus auſtrinis calidis praeditae erant; immo 6ta imbres, grandoque notabatur ſat violenti.

12ma die tonitrua fortia, fulgura frequentia acceſſere ſubito, ab eo pluuiae copioſae vix vna alteraue die remittentes, ſpirantibus continuo Auſtro aut Borea.

29na die coelum ſerenum, calor auctior, continui flatus auſtrini, donec 31ma fulgur tonitruque imminerent cum pluuia.

Die 4ta Mercurius ſupremus mane erat . . . 27 poll. 10 lin. 5 cent.

Die 15ta mane infimus . . . . 27 poll. 2 lin.

medius . 27 poll. 6 lin. 25 cent.

Die 31. calor maxim. veſp. + 23° . 2′

Die 22da mane . . . + 4° . 5′

medius. . . . . + 13° . 80′.

IVNIVS.

IVNIVS.

Primi dies aeſtuoſo coelo, flatibusque Auſtrinis transibant.

Die 3tia Iunii tonitru cum imbre ſuccedente. Ab ea die vsque ad 17mam coelum obductum ſemper mane, et nebulis obuelatum copioſis, poſt prandium iisdem abactis ſerenum tempus fiebat.

18ua et ſequentibus diebus binis ſerena calore multum aucto aura fuit.

Reliquis menſis diebus ſub flatibus Zephyrinis nubes ſolem nobis eripientes, aeſtumque multum minuentes, pluuiaeque copioſae habebantur.

Die 29na mane altiſſimus Mercurius
. . . . 27 poll. 8 lin.
Die 6ta mane infimus 27 poll. 4 lin.
medius . . . 27 poll. 6 lin.
Die 3tia veſperi calor maximus
. . . . + 24°. 0′
Die 8ua mane minimus + 8°. 6′
medius . . . . + 16°. 30′.

IVLIVS.

Initium finisque menſis huius diebus amoenis, coeloque ſudo ac pacato, aeſtu praefocante abſoluebatur. In reliqua menſis parte calores ſatis intenſi, pluuiae copioſae, imbres, tonitruaque alternabant, ſpirante potiſſimum Zephyro et Auſtro praecalidis.

Die

Die 29na mane maxima Mercurii altitudo . . . . 27 poll. 8 lin.

Die 16ta mane maxima eiusdem depreſſio . . . . 27 poll. 4 lin.

media . . . 27 poll. 6 lin.

Die 23tia veſperi calor maximus . . . . + 24° . 0′

Die 5ta mane minimus + 7° . 5′

medius . . . . + 15° . 72′.

A V G V S T V S.

Hoc etiam menſe tempeſtas variabat pluuiis inopinatim et crebro et denſe cadentibus. Fulgura, tonitruaque 17 et 7. terribilia. Imbres notabiles 7. 15. ſpirante vt plurimum Borea forti. Primi vltimique dies ſicciores, coelo pacato, auraque ſerena praediti; aeſtus potiſſimum praefocantes.

Die 30ma veſperi Mercurius altiſſimus . . . . 27 poll. 9 lin.

Die 20ma mane infimus . . . . 27 poll. 3 lin. 5 cent.

medius . 27 poll. 6 lin. 25 cent.

Diebus 7. 13. calor maximus veſperi . . . . + 22° . 0′

Die 22da minimus . + 9° . 2′

medius . + 15° . 6′.

Prioris conſtitutionis indoles talis perdurauit ad finientem Maium vsque, vbi nos excipiendis numeroſis morbis, bilioſis dyſentericis praeſertim

praeſertim parabamus, ſed en quam decepti. Maius enim et Iunius et Iulius morbis inflammatoriis quam frequentiſſimis foedabantur, habebant tamen et ii mixtum ſemper aut bilioſi quid, aut pituitoſi; caſus aliquot naturam epidemiae optime iterum declarabunt.

23tia Iunii ſuſcepimus iuuenem ſtudioſum, qui ſaepius iratus, 19na huius menſis horrore et calore intenſo cum ardore tum capitis tum pectoris tum praecordiorum correptus fuit, noctu delirauit, mane 20. calor minor erat, et puluueres ſalinos ſumſit, a quibus frequenter purgatus nocturnos iterum calores et phantasmata expertus fuit.

21ma bis vena ſecta fuit ſanguine lardaceo, diarrhaea continuauit cum tenesmo, nox eadem.

23tia die inueni pulſum fortem durum, reſpirationem denſam, calorem vrentem, ſitim ingentem, adpetitum ſat bonum, ſaporem prauum nullum, linguam albidam humidam, aluumque nonies fluxilem flauam. Venam ſecui, dedique miſturam et decoctum emolliens cum nitro. 24ta omnia eadem, ſi leuem dolorem lateris, tuſſinque exiguam cum ſputis paucis flaueſcentibus excipias. 25ta pulſus non conueniens reſpirio, quod rarius et maius obſeruatur, adpetit, nullibi dolet, ſitit, aluum ſepties habuit, vrina rubra cum enaeoremate diſperſo, noctu tuſſis cum dolore ſterni et ſputis ſanguine ſtriatis, ſomnus interruptus inquietus. 26ta pulſus minus celer, reſpiratio fere

naturalis,

naturalis, lingua humida perparum alba, adpetitus bonus, ſapor naturalis, ſitis mediocris, vrina ſubturbida, aluus terna liquida ſubfuſca, tuſſis cum ſputis coctioribus, ſudor leuis, ſed facies et oculi mirum mutati, confuſi et alienati; ſudauit circa meridiem bihorio largiſſime, poſtque hos ſudores furibundus adeo, vt viniculis coërceri debuerit, reddebatur. Hora 5ta veſpertina iam inuenio quietum iterum, ſed ad interrogata nil reſpondentem, oculis fixis attoniti faciem habentem, pulſum fortem vibrantem durum aequalem, reſpirationem magnam et raram. Secui venam illico, ſanguisque V. S. ſine cruſta phlogiſtica, tenaciſſimam tamen formauit placentam, epiſpaſtica ſuris, plantisque pedum adplico, et acetum frigidum capiti. Nil autem adſumenti nil medicamenti praeberi potuit, vtut ſaepius exclamaret, ſitio. Vrina ſub illo ſudore miſſa, fuit aquoſa pallida. Veſperae 8uo eundem inuenio, ſed facie flammantem ac oculis ſplendentem, repeto V. S. vnc. xij. ſanguisque lardaceus extrahitur cum ſero virideſcente, pulſu et caeteris manentibus iisdem, vnde iubeo, vt, ſi haec ad 10mam nocturnam perdurarent, V. S. tertia ad vnc. x. fieret, quod etiam factum fuit.

27ma ſanguinem tertiae V. S. minus lardaceum video, audioque aegrum non quidem dormiuiſſe, ſed placide deliraſſe, ſeſeque aluo et vrina conſpurcaſſe, pulſus et calor et rubor plurimum remiſerant a furore ſuo, reſpiratio aeque tarda ac rara, ad interrogata reſpondit,

ſed

ſed inconcinne, oblata ſumit, tuſſitque vomiturorum ad inſtar, labiumque inferius tremit; do illico gra. x. crem. tart. emet. vnc. v. aquae ſoluta, vt in binis vicibus aſſumeretur interpolato trihorio; abſumta tota doſi, ſexies vomuit aeruginoſa, viſcidiſſima, ſimiliaque deiecit. Hora 5ta veſperi ad omnia aptius reſpondet, pulſus et calor remittunt, ſubdelirat tamen adhuc: miſturae ergo noſtrae ſalinae conſuetae adhuc drach. ij. crem. tart. addo, ac pro potu decoct. tamarind. exhibeo.

28ua dormiuit placide ac quiete per horas ſex cum leuibus inſomniis, pulſus parum celer adhuc, calor et reſpiratio naturalis, nullibi dolet, ſed de ſola debilitate conquaeritur, aluus bina, tenuis flaua, vrina pauca oroboidea, tuſſis cum ſputis paucis ſpumoſis croceis.

29na noctu delirauit, lectum conſpurcauit, mane pulſus et calor naturalis, reſpiratio celerior, lingua humida, cruſtoſa fuſca, ſputa eadem crocea, adpetitus bonus, aluus pultacea, praeſentiſſima mens.

30ma delira et inſomni nocte praegreſſa inuenio mane pulſum et reſpirium ſolito auctiora, linguam albo flauam, aluum quaternam viridem, tenuem, vrinam parcam rubram turbidam, ſputa parca alba, aegerque de vertigine conquaeritur, praeſcripſi emeticum, ſed cum ſeſe eſurire diceret, cuſtos emetici loco ius cum oryza exhibuit, vnde nox valde inquieta.

1ma Iulii mane ſumſit ſuum emeticum, a quo vomuit ter tenuia aeruginoſa, et ad pran-

dium

dium bene adpetens, bihorio poſt iterum bis aeruginoſiſſima ſponte vomuit.

2da Iulii bene dormiuit, omniaque meliora; dabatur decoct. rad. Arnicae, ſicque viribus ſucceſſiue redeuntibus 14. Iulii ſanus abiuit.

Parallelae loco, vtut exitus inter ſeſe plurimum differant, ſequens ſit caſus: 14ta Maii ſtudioſus Theologiae moroſus et triſtis iam dudum ponderoſa ſua traxit membra, adpetitu deleto, ſomnoque inquieto: tandem diarrhaea corripitur, eaque valida per biduum, die tertia ob eam noſocomium intrat, ibi rheum toſtum recipit, et cum ei diarrhaea obaudire nollet, theriacam diateſſaron et Andromachi, indeque iam aluus nulla, ſed nocturnus econtra furor, de die iterum ceſſans; hoc in rerum ſtatu aegrum inuenio cum pulſu celeri, contracto, ſubduro, facie lurida, lingua ſicca fuſca, aduſta, ad nil apte reſpondentem; venam ſeco, ſanguinemque inuenio naturalem, exhibeoque miſturam ſalibus mediis foetam, decoct. tamarind. et clysma emolliens.

15ta Maii nox delira, mane omnia eadem cum faciei rubore, ſolutionem emeticam exhibeo, ſed non vomit, purgatus vigeſies viridia liuida, ſpumoſa, ſoporoſus iacet.

16ta Maii omnia peiora, ſubſultus tendinum, veſperi mors.

Cadauer exenteratum exhibuit vaſa encephali ſanguine, turgida, ſerumque non copioſum in ventriculis, inteſtina autem ſphacelata. Similitudinem et diſſimilitudinem horum binorum

morborum

morborum quis non videt? quis autem dixerit, cur in priore caſu grauius quoad omnia ſigna malum aptae medellae ceſſerit, in altero non? an acrimonia diarrhaeae cohibitae, et remedii inflammantis ſtimulus inteſtina inflammarunt? huius rei ſignum nullum aderat, quia aeger ad interrogata non reſpondit, ſicque quod ſaburram euacuare debuiſſet remedium, tarde nimis adhibitum, ſtimulum ſtimulo addendo inflammatas partes ſphacelauit? an alia methodo aeger ſaluari potuiſſet? Recordor ſimilis caſus, vbi iuuenis cohibita diarrhaea bilioſa per remedia cardiaca ſtimulantia in enteritidem inciderit, quae vtut ternis V. S., clysmatibus et decoctis emollientiſſimis leniterque eccoproticis a me, et amico collega tractabatur, aegrum tamen tertia a ſuppreſſa diarrhaea die oppreſſit. Si enim inteſtina eo vsque iam fuerint inflammata, vt remotum ſtimulum emetici nec ferant amplius, ſiderabantur ab euacuante remedio aeque, ac a ſaburra relicta, cumque autem ſaepe ſub prauiſſimis ſignis is gradus mali non adſit, qui euacuans non amplius ferat, quique autem a relicta ſaburra paullopoſt eo deduci poſſit, praeſtat vtique anceps experiri remedium, hoc enim in caſu exſpectando perdes aegros omnes, agendo ſaluabis ſaltem aliquos.

In pleniorem huius rei demonſtrationem, binos alios caſus parallelam aliqua ex parte exhibentes illico ſubnectam.

Dum 20. Iunii veſperi noſocomium adirem, inuenio puerum 8 annorum circiter, toto

corpore

corpore pallentem et tumentem ita, vt pulſum inuenire vix potueris, reſpirat ſtertoroſe, ad interrogata non reſpondet, linguam tamen humidam et albam monſtrat. Nullus adfuit, qui nobis quid minimum lucis potuiſſet de praegreſſis accendere, ita vt exſpectaturus, num forſan altero mane mater, quae illum ante portam noſocomii depoſuerat, redeat et ex illa ſaltem praegreſſa reſciremus, praeſcripſerim nil, niſi clysma ſalinum et miſturam ſalinam.

Noctu intenſe caluit, delirauit, aluumque viſcidiſſimam in lectum miſit.

21ma Iunii omnia fuere eodem in ſtatu, nec quisquam de ipſius ſtatu inſtructus venerat. Veſperae gr. vj. emet. tart. in vnc. iij. aquae ſoluta binis doſibus exhiberi iuſſi, datae fuerunt ambae doſes intra trihorium, nec vomuit adhucdum, vnde adhuc bina grana a vicino aegro vomente ſuperflua ingerebantur, inde tandem vomuerat ter viſcidiſſima, copioſa, ſimulque ſexies deiecerat: ea nocte non delirauit amplius, ſed per interualla dormiuit.

22da Iunii ſerena ac praeſens mens, pulſus ſenſiliores, tinct. rhei aquoſae additus fuit Sal. Amoni. Sic intra octiduum perfecte ſanus matri reddebatur. Mater quarta die primo rediens, faſſa fuit, ſe infantem certo moriturum credentem, tantum funeris expenſis parcendi gratia in noſocomium tuliſſe, indeque non rediiſſe, examinata mater de nulla rubedine aut ſcarlatina praegreſſa quid ſciuit, ſed infantem a binis ſeptimanis non adpetiiſſe, ſemper

veſperi

veſperi decubuiſſe, tandemque tumuiſſe narrabat.

1ma Auguſti ſimili modo veſperi in lectorum morem vno inuenio virum circiter quadragenarium atrabiliarium, de quo nil aliud reſcire potuerim, quam illum circa meridiem ab vxore adductum fuiſſe, illamque dixiſſe, me iam de omnibus eſſe inſtructum, ſicque abiuiſſe; aegrum in lectum poſitum paullopoſt deliraſſe furibunde, vt ligari debuerit vinculis, nunc illum ab hora quietum iacere. Video hominem mihi plane ignotum, facie attoniti iacentem, labia loquentis adinſtar continuo mouentem, ad interrogata me adſpicientem quidem, ſed nil aliud, niſi finem orationis Marianae ad quascunque meas quaeſtiones reſpondentem, et quandoque iniurioſum vnum alterumue contra domus dominam proferentem verbum. Non rubet, nec calet praeternaturaliter, pulſus parum celerior, contractus, ſubdurus, reſpiratio placida celeris, ſuſpiriis interrupta, caeterum continuus ſopor. V. S. impero, ſanguinemque extraho, parciſſimum habentem ſerum, et tenacem ſine cruſta cruorem, nullum autem inde leuamen, ſed potius pulſuum concidentia; inde clysmata ſalina, fomenta capitis frigida, et ſi quid deglutiat, miſturam ſalinam praeſcribo, exſpectaturus iterum altera die vxorem nos de praegreſſis inſtruentem.

Noctu ſolus ter ad aluum deponendam ſurrexit, varia noctu oblocutus, nihilque dormiens.

2da Auguſti mane omnia eadem, nec minimum quid mutatum. Nil deglutit, ſed in os data exſpuit, nunc tamen pauca bibit; hoc in rerum ſtatu vxore non redeunte, timensque ne ſub paroxysmo veſpertino aeger peius adhuc haberet; et nil iterum aſſumere vellet, illico gr. x. crem. tart. emetici in vnc. iv. aquae ſolui curo, et in tribus doſibus exhiberi, ſed tantum primam doſin aſſumſit, reliquas iterum exſpuebat. Ex prima autem hac doſi non vomuit, ſed vndecies deiecit, vbi ſemper ſolus vt ſeſe in excipulum ponat, ſurrexit. Nox quietior quidem, ſed tamen delira.

3tia Auguſti eundem inuenio ſtatum mane, iterum quaedam aſſumſit, vnde illico gr. iv. crem. tart. emetici in aquae vnc. ij. ſoluta exhiberi curo; denuo non vomuit, ſed ſexies purgatus iterum, ſemper ſolus ſurrexit. Interea redit vxor, nobisque narrat maritum ipſius ſanguinolento bello an. 1756 militem tormentarium fuiſſe, variaque vulnera non tamen in capite recepiſſe, cephalaea autem tanta adfectum fuiſſe per vices ſumme exacerbata, vt inualidus an. 1761 operi militari valedixiſſet. Cephalaeam hanc continuam quidem fuiſſe, ſed bis nonnunquam in anno adeo adauctam, vt lecto decumbens deliraret, quae tunc cephalalgia pure ex auribus profluente iterum ſoluebatur.

30ma Iulii ob grauem moerorem et indignationem contra domus ſuae patronam febricitare grauiter cum aucto dolore capitis cepiſſe, ipſique a conſulto chyrurgo datum fuiſſe reme-

dium,

dium, vnde trigeſies vomuerit, pluriesque deiecerit, tota ipſa nocte cum furibundum omnia ſusque deque vertiſſe, altero mane illam ipſum ſat pacate habentem in noſocomium duxiſſe, vbi ſtratagemate vſa fuerit, vt in meos lectos ſuſciperetur.

His auditis cataplasmate emolliente vniuerſum caput inuoluo, clysmata emollientia iniicio, ſed cum nil aſſumeret iterum, interne nil praeſcribo. Veſperi furens lecto exſiliit, omnia proſtrauit ac diffregit, ac vi in lectum compoſitus, paullopoſt eodem ſopore obruebatur, ſub quo magis et magis ſtertens, mane 4ta Auguſti dormientis adinſtar moriebatur.

Cadauer 12. a morte horis ſectum, exhibuit duram matrem vaſis omnibus ſanguine plurimum turgidis, piam matrem ſimili modo cruore turgentem, ſinus tamen longitudinales ſanguine vacuos; piam matrem et arachnoideam inter, praeſertim in anterioribus et mediis lobis cerebri pus erat effuſum copioſum quidem, ſed late in tenuem ſuperficiem diffuſum, tantum hinc inde in copiam lentis maioris collectum. Ventriculi ambo ſero limpidiſſimo copioſoque diſtenti erant, plexusque choroidei pallidiſſimi, quorum dexter exiguas hydathides habebat. Copioſius pus collectum fuit in baſi loborum anteriorum et neruos opticos circum, ſed maxime ſtupuimus, glandulam pituaritiam dictam ad minimum triplo naturali maiorem, ac colore profunde purpuream, molem autem.

Diſciſſa

Diſciſſa nil erat niſi ſaccus formatus a dura matre, continens humorem colore hepatico et conſiſtentia ſanguinis putredine corrupti, qui patebat foramine non exiguo in ſinum lateralem ſiniſtrum totum pure turgentem. Baſis ſellae turcicae erat quidem dura matre inueſtita, ſed lamella ipſa oſſea binis foraminulis ſemine canabis non minoribus erat perforata in ſinum ſphoenoidalem, in quo ſinu nil quidem puris aut alterius inueniebatur materiei, ſed habebat vniuerſum os, hunc ſinum formans colorem adeo intenſe flauum, vti regio veſicae felleae vicina eſſe ſolet. Caeteri ſinus naſales naturales ſic et organon auditus internum.

In cerebello aeque pus inter piam matrem et arachnoideam effuſum erat, vti in cerebro, quin in ſummitate conuexitatis, copia puris erat maior, quam in quocunque alio loco cerebri.

His binis in caſibus vtique plurima notatu digniſſima obueniunt, inter quae primario id memorabo, quocum priores binos caſus finiueram, nempe deſperato in malo ancipiti remedio ſaltem aliquos ſaluari, dum econtra exſpectatione aut moli nimis medicina omnes perirent. Quaeſo enim, quis non ſtupet mirabilem effectum emetici in puero illo ſemimortuo? et quo alio tutiore remedio ſaluari potuiſſet ille, niſi emetico? dum in tenebris ſummis ſola indicatio ab aluo viſcida, ſtertoroſa reſpiratione, exacerbatione nocturna, et dominante tunc ſtatu epidemico deſumenda erat. An culpandus

vllo

vllo modo ſum, qui in tenebris ſimilibus, iisdem ſeductus rationibus, et caſus prioris felicitate allectus in altero idem tentauerim remedium? quod, quamuis vomitum non mouerit, tamen in ſuſpicione noxae verſatur. Immedicabilem quacunque alio methodo fuiſſe caſum luculenter docuit Anatome, vt hic miles non dato emetico aeque certo mortuus fuiſſet, ac dato; puer autem non dato emetico certiſſime periiſſet. En elegantem et recentem caſum haec confirmantem: Vocor menſe Decembri ad virginem vetulam, quae repudium ſponſi aegre ferens, liteque iuridica merſa plurimum irae indignationique per longius tempus dedita erat; haec ad expurgandam bilem alteratam vſa eſt ſolutione reſinae ialappae in ſpiritu vini ab agyrta parata, et prima die quadrageſies inde vomuit, vltraque centies purgabatur; altera die eadem tragoedia cum dolore atrociſſimo ventris, et aluo ſanguinolenta, tertia die idem rerum ſtatus, quarta die dolores intolerabiles, delirium, tenesmus ad aluum continuus, abdomen attactum non ferens. Vocatur in auxilium chyrurgus, V. ſecat, ac ſanguinem phlogiſticum extrahit, indeque venam reſecat, ſanguine, dolore, caeterisque omnibus manentibus iisdem. Vocatus ego, haec omnia audio, videoque foeminam totam flauentem, genis praerubentibus, linguam ſicciſſimam ſubfuſcam non cruſtoſam, oculos ſplendentes; inuenio pulſum celerrimum, contractum, durum, reſpirationem anheloſiſſimam, et dolorificam adeo, vt conuoluto tantum in gy-

D rum

rum corpore perfici potuerit, ventrem tamen molem, vtut attactum non ferentem; cataplaſma et vnguentum emolliens ac anodynum adplicari, ſimilia clysmata iniici et copioſum decoct. altheae ac tamarindorum cum gummi arabico tepide potari praeſcribo, incaſſum omnia, a minima enim re, quam ad ſitim immenſam fallendam aſſumeret, tormina furebant, et paullopoſt tenesmoidea fluebat aluus, ſicque inſomnem doloribus et purgatione transegit noctem, ſequenti mane febricitantem ſummopere ac ob dolorem furibundam fere inuenio, curo clysmati addi gr. i. opii, incaſſum, niſi quod inde ructus prodirent amariſſimi, his ex ructibus, ex flauedine corporis, et quotidianis nocturnis exacerbationibus concluſi, non iam amplius remedium reſinoſum eſſentiam morbi conſtituere, ſed ſtimulo acri huius remedii corruptam fuiſſe bilem, quae impetuoſe adfluens produceret febrem falſam inflammatione miſtam, et hanc indicationem iuxta hypecacuanham exhibeo, a qua quinquies vomuit viridia amariſſima, quaterque aluo liberrima nec hilum dolorifica purgabatur, tanto cum leuamine, vt ea nocte ternis horis dormiret, ac exhibito decocto tamarindorum breui integre conualuerit.

Quaeſo iam, quis noſtrorum practicorum hoc in caſu emeticum exhibere auſus fuiſſet? et quo alio remedio haec foemina ab inſtante iam gangraena ſaluari potuiſſet? a moli illa conſueta, ab antiphlogiſtica, a catharctica methodo oc-

cum-

cumbendum fuiſſet miſerae, quae emetico feliciter ſaluabatur.

Ex prioribus binis et pluribus aliis meis obſeruatis conſtat, peſſimum ſemper eſſe, ſi emeticum vomitus loco purgationem moueat, ſed an tunc qua cauſſa, an qua ſignum? forſan qua vtrumque; quanta enim mala a purgante ſequantur, vbi emeticum neceſſarium fuiſſet, iam dudum conſtat, indeque emeticum, ex quacunque ratione vomitus loco aluum mouerit, in idem delictum incidit, ac medicus purgans directe exhibens, indeque qua cauſſa nocet; ſed conſtat, capite adfectos a largiſſimis tantum doſibus emeticorum vomere, an inde qua ſignum deducere licebit, ſi emeticum etiam largum non ore ſed ano operatur, cerebrum intenſe adeo adfectum fuiſſe, vt vix liberari ab oprimente adfectione poſſit?

Negabit ſpero nullus in caſu militis tormentarii fuiſſe malum complicatum ex antiquo ſuo encephali vitio, et nunc accedente febre bilioſa, vnde illae exacerbationes veſpertinae ortae ſemper fuerint, quae autem malo topico capitis conueniebant remedia, illa vtique a febre bilioſa contraindicabantur, et viciſſim.

Iam dudum dolui de capitis ita dictis apoſtematibus, vti fere de omni re, quae ſub theca cranii incluſa latet, nos adhuc adeo calligare, vtut frequentes hi ſint caſus.

Noui talem foeminam Viennae, quae viginti annorum curſu. circiter trigeſies cephalalgia febrique corripiebatur. Pure prodeunte ex

auribus, naribusque copioſo foetido, ad tempus conualuit, medio anno poſt redeuntibus iisdem malis; nec vitio auditus nec odoratus laborauit, et tandem 64 aetatis anno ex hoc morbo enecta, in caluaria copioſum pus in fundo cranii haerens exhibuit, ſed nullam viam, qua in aures et nares profluxerit. Sic etiam in hoc aegro auditus nunquam fuit laeſus, et nulla etiam in cadauere obſeruabatur organi ipſius laeſio, et tamen toties effluens per aurem pus cephalalgiam iudicauit.

Mira certe haec eſt glandulae pituitariae degeneratio, quae vnde et quomoda facta ſit, et quid exinde ſymptomaton ipſi adſcribendum veniat, neſcio.

Quaterni hi caſus ſufficiant ad dandam ideam, quomodo huius conſtitutionis febres encephalon affecerint.

Sed fuit copioſior longe aegrorum numerus, qui pectore, quam qui enkephalo ſub hac febre plectebantur, ita vt dolores pleuritici, reſpiratio peripneumonica, haemoptoes, frequentia fuerint ſymptomata.

Quomodo hic morbus decurrerit, et quomodo illi medicinam fecerim, ſequentes docebunt hiſtoriae:

45 annorum molitor ſanus antea ſemper, 28. Iunii ligna incautius findens a reſiliente fruſto ligni in hypochondrium ſiniſtrum contunditur cum dolore praeualido ſine laeſione vlla externa, hora poſt corripitur horrore validiſſimo, caloreque intenſo, dolore lateris acuto,

to, et ad clauiculam et ſcapulam eius lateris vsque protenſo, et ſub inſpiratione plurimum aucto. Secuit venam illico, ſed pauco cum leuamine, quin ſymptomata eadem augebantur indies, donec 5ta Iulii noſocomium adiret.

Ardebat tunc totus, ſitiebat quam plurimum, de dolore acuto lateris adfecti ſub inſpiratione quam maxime conqueritur, ſputaque cum tuſſi dolorifica prodeunt tota ſanguine tincta; pulſus magnus celer, fortis, durusque eſt, reſpiratio anheloſa, ſitis multa, adpetitus bonus, vrina parca et rubra, lingua ſicca, albida, ſanguis binarum V. S. non quidem cruſta tectus, ſed placentam firmam adeo ac tenacem formans, quae hepatis ſcyrrhoſi aemulabatur duritiem, iniectum clysma emolliens, paucas ſubtraxit foeces, dataque miſtura et decoct. antiphlogiſticum effecerunt, vt 7ma et 8ua Iulii praegreſſo veſpertino horrore cum ſubſequo multo calore ac ſudore largiſſimo, totus ac vniuerſus morbus iudicaretur, ac 11ma Iulii ſaniſſimus domum repeteret.

Facile natura huius morbi inflammatorii rheumatica ex decurſu et praeſertim fine morbi clareſcit, ſed rariſſima ea ſimplex huius mali fuit indoles, ſed plerumque vel pituitoſo vel bilioſo vel vtrique coniuncta, aut phlogoſis aut rheuma aut vtrumque erat.

Iuuenis 19 annorum, piſtor, caeterum ſanus, corripitur 12ma Iulii horrore et calore ſubſequo, ſudore copioſo, ſiti et capitis dolore obtuſo, altero mane haec omnia plurimum remiſerunt,

miſerunt, ſed veſperae omnibus excepto horrore redeuntibus peioribus.

16ta Iulii nos accedit, inuenimusque pulſum celerem, fortem, durum, reſpirationem anheloſiſſimam et ſtrepentem, linguam apice exigue albam, ſed profunda radice virideſcentem, et audimus illum conquerentem de dolore acuto vehementi a clauicula ſiniſtra ad molle hypochondrium vsque ſe extendente, attactum non ferente, et ſub inſpiratione et tuſſi plurimum aucto. Fit illico V. S. vnc. xij. daturque miſt. et decoctum antiphlogiſticum: ſanguis V. S. placenta molis, ſed cruſta tenaciſſime lardacea obtectus.

17ma ſomnus valde inquietus fuit, vtut dolor lateris poſt V. S. nonnil remiſerit, et capitis dolor ceſſauerit. Mane reſpiratio inuenitur aeque anheloſa, pulſus autem minus durus, ſed inaequalis adeo, vt iam dicrotus iam intermittens eſſet, lingua erat eadem, prauus nullus ſapor, adpetitus conſtans, vrina cum enaeoremate ponderoſe ſubſidente, rubra. Veſperae omnia exacerbata, cum ſputis tenacibus mere cruentis, foetentibus, et aurium tinitu acerbo; dabatur emeticum, a quo quinquies vomuit aeruginoſa amara, et decies purgatus fuit; poſt vomitum tota fere nocte dormiuit, ſudauit, et 19na Iulii laetus ſanusque noſocomium reliquit.

Multa in hoc caſu notatu digna obueniunt: 1mo. Sanguinem vere inflammatorium nulla cruſta etiam obtectum, facili negotio ex

tenacitate

tenacitate praeternaturali placentae detegi, quam duritiem in centenis experimentis a pluribus iam annis adeo vicariam ipſius cruſtae phlogiſticae fuiſſe inueni, vt quoties in vno vaſe cruſtoſus in altero non cruſtoſus obſeruaretur ſanguis, audacter illius placentam molem huius vero tenaciorem longe pronuntiarem. Saepius ingenuum noſtrum Haenium miratus fui, qui hunc luſum placentae iam cruſtoſae iam non cruſtoſae ſtupuerat, et ad hanc differentiam conſiſtentiae in placenta non attendebat. Nec video, cur Clariſſ. Hewſon in ſuo tentamine de ſanguine ad hypotheſin adeo gratuitam confugiat, vt phoenomenon illud, cur ſanguis eiusdem V. S. in vno vaſe cruſtam contrahat, in altero nullam, explicaret: non enim in altero vaſe illa cruſta deeſt, ſed tantum coniuncta cum cruore aequabiliter, non viſibilis, ſed tenacitate placentae praeternaturali bene eſt ſenſilis. Cur autem in vno vaſe haec coagulabilis lympha a cruore ſeſe in cruſtam ſeparet, in altero cruori intime miſta maneat, ratio eſt in mutata ſub variis circumſtantiis ratione attractionis particularum lympham coagulabilem inter et ipſum cruorem, ſic riualoſe profluens ſanguis plerumque cruſtam, guttatim depluens, nullam contrahit, quod in primo caſu ſanguis impetuoſe ac cito profluens, ſufficiente etiam tempore caleat adeo, vt particula lymphae coagulabilis alteram adtrahat, ſicque a ſpecifice grauiore rubra parte ſeparet, altero in caſu quaeuis gutta ſanguinis iam illico intime ita refrigeratur, vt

lympha

lympha in quauis gutta citius coaguletur, quam gutta guttam attrahere poſſit. Inſtantia manifeſta deſumitur ex commiſto, quantum poſſibile butyro cum iuſculo, haec enim calentia riuuloſe in vas effuſa, ibidemque quiete ſtantia a ſe inuicem adeo apte ſeparabuntur, vt vniuerſum butyrum concretum ſupra aquam ſit inueniendum, ſi autem eadem miſcela guttatim in vas proſtilletur, manebit ſemper butyro intime confuſa aqua. Eadem plane ex ratione cruſta in vaſe profundiore ſemper notabilior obſeruatur, quam in vaſe plano latoque.

Cum autem deficiente cruſta ſanguis inflammatorius ſemper habeat placentam duriorem tenaciorem, merito contra Cl. Moſcati aliosque concludo, naturam lymphae inflammatoriae non in attenuatione eiusdem et minore niſu in coagulationem conſiſtere, ſed certiſſime antiquam iam iuxta opinionem ab aucta eius tenacitate et coagulabilitate prouenire.

Secundum, quod caſus hic docet, et pluries obſeruaueram, eſt, quod dominante phlogoſi ſputa rariſſime ſanguinea obſeruentur, taliaque tunc primo fiant, quando compreſſa phlogoſi morbus ſaburralis caput extollere incipit.

Tertium notabile eſt, quodque quam maxime in complicatis talibus febribus accidit, ſaburrae notam dominante phlogoſi nullam, vel exiguam eſſe, indeque abſentiam aut praeſentiam horum ſignorum minus docere, quam cognita indoles morbi epidemica et illae exacer-

bationes

bationes veſpertinae aut nocturnae doceant; demum et id negligi non debet, linguam huius hominis obiter conſideratam puriſſimam apparuiſſe, radicem tamen eiusdem viridi tinctam fuiſſe colore.

Demum ſputorum ſanguineorum per emeticum ſubpreſſionem nec mirati fuimus nos, nec mirabitur quispiam prudentiore medicina inſtructus.

Hac occaſione praeterire nequeo hiſtorias binas Viennae inter numeroſiſſimum famulitium Principis a Lichtenſtein, cui tunc temporis medebar, a me obſeruatas. Auriga iuuenis 26 annorum εὐσαρκος καὶ εὐχροιος ab aliquot menſibus vxoratus, aeſtate feruidiſſima an. 1774 incidit in haemoptoen profuſam adeo, vt prima die vltra libras tres proiecerit ſanguinis floridi. Inuenio hominem ſumme calentem, ſitientem, pectore dolentem, ac pulſu celeri contracto. Ego tunc totus ea doctrina imbutus, qua nullam aliam cognoſcerem hoemoptoes medellam, quam communem illam ſcolae Haenianae, ſeco et reſeco venam, ille ſpuit et reſpuit ſanguinem, hirudines adplico, remediaque ex regula artis adſtringentiſſima, ſed nullo leuamine, tandem die nona prudentior me natura mouet vomitum aeruginoſiſſimum, copioſum, et haemoptoe ceſſat, ſine vlla ſubſequa phtyſi, quam in vulnere pulmonis per nouem dies aperto ineuitabilem credideram.

Quantum is caſus animum meum contra emeſim praeiudicio craſſiſſimo praeoccupatum

torſerit,

torſerit, et ſtrinxerit, nemo facile concipiet: ſed attentiſſimum me ad futuros caſus reddiderat. En trimeſtri poſt vir ſexagenario maior ſedentariae vitae deditus, et iam vltra menſem tuſſi moleſta torſus, noctu auxilium meum implorat, vtpote qui paullo antea tuſſi ſub uiolenta, vltra libram ſanguinis coccinei ſpumoſiſſimi eiecerat. Inuenio virum calentem valdopere, et anxium, cum pulſu celeri, forti, pleno. Venam ſeco illico in pede largiter, et meduſae crines non ſtupuiſſem magis, quam videre aegrum, ſub V. S. delirum et ſubtractis ſanguinis vnc. xvj. furioſum. Dum aegrum componere ſtudemus, in animi deliquium incidit, vomit copioſiſſima pituitoſa, et mentis praeſentia redit. Iam videbam euacuans indicari remedium, audax tamen ſufficienter nondum eram, vt ad emeticum confugerem, vnde praeſcribo purgans ex decoct. tamarind. fol. Sennae et rad. Mechoacanae addito arcano duplicato, atque hoc remedio effectum fuit, vt non ſolum haemoptoes intra octiduum conticeſceret, ſed etiam tuſſis iam antea tamdiu moleſta.

Frequentiore dein in praxi haemoptoen ſaepius emetico quam V. S. ſanandam inueni, et ſanaui. Similes febres inflammatorio bilioſae cum pleuritide et haemoptoe nobis hoc tempore in noſocomio fuere. Nro. 9.

Raro poſt V. S. ſoluentia et emeſin, veſicante adhuc eguimus ad dolorum pleuriticorum reliquias fugandas. Tuſſis morbo ſuperſtes infuſo noſtro amaro, nempe infuſo trifol. fibrini facile ceſſit, et vnica tantum vice opio eguimus.

Quae

Quae autem tuſſis ſicca euacuationibus iuſtis factis durante ipſa febre vrgeret, illi ſerum lactis vinoſum cum oxymele ſquillitico opponebatur, aut miſtura ex gummi ammoniaco, crem. tart. emetico et oxymele ſquillitico.

In vno horum aegrorum iam ſaepius haemoptoico, non ſolum adfuit haec febris exacerbatione quotidiana foeda, et ſanguis ſputis commiſtus, ſed ipſa ſputa colore ſubſtantiaque pus perfectum adeo aequabant, vt ouum ouo ſimilius eſſe nequeat, plurimaque pars ſtudioſorum aegrum pro phtyſico declararent, qui tamen eadem medella intra binas ſeptimanas reſtitutus fuerat perfecte.

Terribilis certo non raro, laruaque ſua facile imponens eſt huius morbi complicati facies, tantum tamen intereſt, num aegrum qua phtyſicum, num qua febre hac laborantem tractes. Laetus recordor caſus talis a me obſeruati Viennae aeſtate 1775, in reuerendo ſtudiisque plurimum dedito viro, qui ſanus antea ſemper ſimili corripiebatur pleuroperipneumonia, cum tanta difficultate reſpirii, tantaque copia ſputorum omni nota purulentorum hinc inde ſanguine tinctorum, vt bini celeberrimi practici alte declararent, vomicam aliquam pulmonum latentem ruptam, aegrumque perditum eſſe. Ego binis emeticis, ſoluentibus, tandemque ſubiuncto cortice aegrum ſanaui intra ſex ſeptimanas. Habebat autem hic morbus exacerbationes tertianas, cum horrore incipientes, calore et ſudore finientes.

Imo,

Quin in eadem vrbe ſemel mihi videre contigit phtyſin talem ſpuriam poſt male tractatam haemitritaeam cum quartana perfecte complicatam, quae eadem tamen methodo, tardius autem curabatur.

An fucatae tales phtyſes fuerunt, de quibus ſanatis ſaepe gloriantur, et medici et profani? fateri debeo, me circa has medellas incredulum adeo eſſe, vt opiner, veram phtyſin vlcerosam pulmonum inſanabilem magis eſſe, quam verum cancrum exulceratum.

Quod in hoc caſu difficultatem practicis tantam mouet, num ſputa puriformia ac mucoſa tantum, num purulenta vere ſint, me torquet minimum; ſcio enim pus verum exſpui poſſe, pulmonibus tamen ab vlcere liberrimis; ſcio experimenta illa hodiedum vſitata, quibus pus a muco diſtinguatur, pro ratione infinitarum circumſtantiarum infinite variare, et ſcio ſputa illa cocta dicta catarrhorum, goryzarum, febriumque variarum ſeſe in meis experimentis eodem geſſiſſe modo, vti pus ex vulnere deſumptum, prouti id fore iam ab anteriori ſperabam, cum poſt Haenii et Hewſoni experimenta dubium iam nullum ſit, et pus vlcerum, et materiem illam criticam variorum morborum eiusdem matris eſſe filios.

Conſtans fere ea obſeruabatur pleuritidis huius temporis natura, vt dolor ſeſe ad regionem iliacam eius lateris vsque extenderet, indeque vnus immediate abdomen, alter pectus accuſaret, qua de re ſufficienter candidatos meos

monere

monere non poſſum, ne vnquam verbis aegri fidant, dicentis, ſe pectore aut abdomine dolere, frequentiſſime enim apud plebem non ſolum, ſed apud honoratiores etiam inueni, vt pectus accuſarent, vbi ventriculus aut abdomen doleret, et viciſſim, et neceſſum ſemper ſit iubere, vt aeger illum locum dolentem digitis commonſtret, video enim neglectu huius regulae quotidie morbos hypochondriorum pro pectoralibus ita dictis declarari et tractari. Sed etiamſi in pectore et circa ipſas mamillas dolor ſit, non credendum propterea ſemper erit, ſedem morbi in pectore reuera eſſe, cognouit enim iam Hyppocrates ex induratione hepatis dolorem in ſummo pectore acutum oriri, et ſympathia pectoris cum viſceribus abdominis tanta eſt, vt morbos pectoris idiopathicos longe rariores credam, quam vulgo adſumitur.

Mirum eſt, nullam et in vniuerſo noſocomio fuiſſe dyſſenteriam, erat tamen ea morbi huius inflammatorii, rheumatico ſaburroſi indoles, quae mentem amiciſſimi Stollii iuxta creberrimas debuiſſet producere dyſſenterias.

Non poſſum ſicco praeterire pede caſum docentem, quam parum purgans vices emetici ſubire valeat, et ſiquidemſubeat, quanto magis exinde aegri debilitentur, quam ex terno emetico.

24ta Aprilis homo molitor 36 annorum mane vertiginoſus fuit, et poſt prandium horruit diu, multumque, cum ſubſequo calore, dolore capitis et pectoris, ſomnoque nullo, altera die V. ſecuit, ſumpſitque purgans, nec hilum

lum autem inde melius habuit, omnesque noctes inſomnes transegit.

2da Maii noſocomium ingreſſus eſt, ac maxime conquerebatur, de dolore obprimente pectoris et epigaſtrii, de dolore capitis grauatiuo, ſiti nulla, et adpetitu deleto; os nunquam amarum fuit.

3tia Maii nil dormiuit, lingua de nocte ſicciſſima fuerat, interdiu humeſcebat, rubra glabra, pulſus parum celer non durus, reſpiratio ſuſpirioſa, dolor pectoris et capitis idem, vrina rubra, clara. Veſperi febris auctior, reſpiratio anxia, lingua rubra, ſicca ſed glutinoſiſſima, aluus tenuis, aquoſa, copioſa, ſitis maxima, iuſſi vt de miſt. ſalina abſtineret, ſoloque vteretur decocto gramin. et tarax. pro potu.

4ta Maii parum dormiit, quia continuo purgabatur, et melius hodie habet, pulſu vix febrili, lingua minus ſicca, minus glutinoſa; aluus nocturna praetenuis fuit, flauaque; parum dolet adhuc pectore et capite, vnde iterum aſſumendam iubeo miſt. ſalinam. Sed veſperi omnia peiora, etenim dedolatio dolorifica artuum, dolor fere opprimens epigaſtrii ac pectoris, lingua glutinoſiſſima ſubſicca, pulſusque praeceleres fuerunt. Illico exhiberi emeticum curo, a quo ſemel tantum pauca billioſa vomuerat, ſed vltra vigeſies purgatus fuerat tenuia ſpumoſa, flaua.

5ta tota nocte nihil dormiit, mane facie erat triſti, ac lurida, extrema frigebant, pulſus tremulus vixque perceptibilis erat, ac de nulla

re:

re praeter debilitatem et aurium ſuſurrum conquerebatur. Exhiberi curo miſt. noſtram alexipharmacam, et ſerum vinoſum, indeque factum, vt poſt prandium facies melior, pulſus ſenſibilior, calorque extremitatibus redierit, et ſub continuatione horum remediorum 19. Maii ſanus abiuerit, aluo copioſa pultacea tandem indicatus.

Quam tragoediam hic morbus in abdomine luſerit, breuibus dicam. Habuimus aegros binos omni nota gaſtritide laborantes, ſi nempe dolorem ardentem intolerabilem ventriculi, cum vomitu omnium ingeſtorum febrimque acutam conſideres, mala autem haec omnia V. S. et emollientibus ceſſerunt minime, ſed his praemiſſis emetico.

Singularis caſus affecti ab hoc morbo abdominis exactius conſiderandus erit.

Auriga 46 annorum ſtrenuus potator, 7. Iunii ſub aurae inconſtantia ſumma currum inuerſum erigere volendo incaluit quam plurimum, et ſudauit, paullopoſt hauſtum frigidum ingurgitauit, ac illico inde horruit, caluitque per vices multum et acriter cum dolore ardente circa vmbilicum et hypochondrium ſiniſtrum. Continuauit ea die iter, ſed altera die ob ſymptomaton acerbitatem cubare coactus, conſilio monachi ſumſit oleum multum, theriacam, aliaque varia, ſed incaſſum ita, vt ob mali indies augmentum 17. Iunii noſocomium FF. miſericordiae ingrederetur. Conquerebatur tunc praeter dolorem eundem et febrim

intenſam,

intenſam, de nauſea, amaritiae oris, vomituritioneque continua, accepitque propterea ſyrupum emeticum, non vomuit tamen inde, ſed purgabatur quinquies.

Noctu omnia peiora, vomituritionesque tantae, vt et omnem potum reuomeret quam citiſſime, cum dolore abdominis maximo, viriumque decremento inſigni. 18ua Iunii continuant omnia, nilque datum remedii. 19na Iunii ad meos lectos illum adſumo, et inuenio pulſum celerem, contractum, reſpirationemque anheloſiſſimam cum plurima pectoris obpreſſione, dolorem abdominis non tumidi nec contracti, nec duri, qui attactum omnem refugeret, et maxime circa vmbilicum et hypochondrium ſiniſtrum vrgeret, nauſeat aeger omnia, ſitit ardentiſſime, ſed et minimam doſin aquae reuomit illico, lingua eſt ſicca, flaua, aſpera, cutis aridiſſima, calor plurimus debilitas maxima; veſperae ſymptomata omnia augentur, praeſcribo miſt. emollientem, decoctum, clyſmata, cataplasmata emollientia, et vnguentum noſtrum anodynum. Noctu nil fere dormiuit, ſaepiusque deiecit tenuia.

20. Iunii abdomen minus dolet, aſſumta aeger retinet, leuatumque ſe ſentit aluo tamen eadem.

21. Iunii adparens leuamen continuat, ſed 22. Iunii dolor redit intenſior, pulſus celerior duriorque, vtut contractus, omniaque ſymptomata augentur; venam ſeco, ſanguinemque extraho ad vnc. viij. tenaciſſimum phlogiſticum

cum, ſed intenſe flauente ſero, vti et ipſa cruſta phlogiſtica; leuato aegro, pulſuque nonnil aſſurgente, veſperae venam reſeco, ſimilemque conſpicio ſanguinem; noctu melius dormit.

23. Iunii longe meliora omnia, doloribus fere omnibus iam euanidis, ab adtactu tamen adhuc reducendis, dabatur aqua laxat. Viennen. a qua ſexies purgatus fuit cum leuamine plurimo; bene dormiuit nocte vniuerſa.

24. Iunii omnia in meliore ſtatu erant, et egregie iterum dormiit.

25. Iunii aegro iam in vado credito accidit, vt ſtudioſus ille phreniticus, de quo ſupra dictum fuit, furore ſuo omnia disiiciens et diruens, vicino huic aegro tantum incuſſerit terrorem, metumque, vt ſub ſolo induſio fuga per feneſtram ſibi conſuleret, indeque nouo prehenderetur horrore, calore, doloreque abdominis, nocte inſomni transacta.

26. Iunii inuenio aegrum triſti hoc in ſtatu, pulſu praeceleri tremulo fere, debilitateque corporis plurima: ordino praedicta emollientia externa et interna addito clysmati gra. i. opii, ſeco manu ſuſpenſa venam, pulſus autem fere euaneſcunt, adhibeo decoct. corticis, emollientibus coniunctum, incaſſum omnia, etenim doloribus indies auctis, viribus imminutis, tuſſi conuulſiua vltimo biduo vrgente moritur 3tia Iulii ſtertoroſus.

Cadauer externe nil habuit praeternaturalis, ſi abdomen nonnil tumidum, naresque copioſum viridem humorem fundentes excipias.

Aperto abdomine in conſpectum venit omentum colore purpureo, caeruleo, virideſcente, maxime autem plumbeo varium, ampliſſimumque ita, vt vniuerſum abdomen ad profundam peluin, et in lumbos vtrosque vsque inueſtiret. Externe iam leuius peritonaeo, interna autem ſuperficie tenacius hepati, ventriculo, inteſtinisque vniuerſis ita adcretum, vt etiam in locis gangraena nondum marcidis ſola dilaceratione ab his partibus auelli potuerit. Ablato vbicunque ita omento, inter id et gyros illos inteſtinorum copioſum collectum erat ſerum praeflauum gelatinoſumque, cuius in vniuerſo ventre copia libr. iv. facile excederet, erant enim vniuerſa inteſtina tenuia et craſſa, copioſiſſimis fimbriis pſeudomembranaceis vndique connexa: vt illi varii gyri et flexurae inteſtinorum, et h. parietes pſeudomembranacei totidem formarent cellulas maiores, in quibus incluſum erat ſerum praedictum gelatinoſum. Inteſtina ipſa inflammata liuida adparebant, colonque deſcendens circa renem non ſolum peritonaeo, et eousque pertingenti omento firmiſſime adcretum inueniebatur, ſed in ipſo loco concretionis huius triplicis pus ſat copioſum et ſincerum ſeſe prodebat, non perroſo tamen inteſtino. In concaua parte lobi maioris hepatis vicine ad finem venae portae duo erant abſceſſus purulenti clauſi, duas circiter vncias puris continentes. Glandulae meſenterii induratae aliquae ſimpliciter, inflammatae aliae, aliae ſubpuratae inueniebantur.

Pinguedinis

Pinguedinis in vniuerſo corpore vix nota vlla, ſed vbicunque in abdomine naturaliter pinguedo adeſſe deberet, ſola illa erat flaua, pellucida mollis gelatina. Reliquae partes ſanae erant.

Metaſtaſes tales pſeudomembranaceas ſeroſasque in morbis praeſertimननबilioſo aut putrido inflammatoriis varias ad partes frequentes fieri, obſeruationes variorum docent, fiunt autem frequentiores longe vitio medicorum, qui ſaburram primarum viarum negligendo V. S. pluribus abſorptionem ſtagnantis ſaburrae adiuuando, viresque naturae coquentes expellentesque debilitando tales metaſtaſes producunt; nil etiam hanc ob cauſſam inter practicos ſanguinarios frequentius obſeruare eſt, quam vt aegrum, cui V. S. pluribus ſalubrem naturae vim febrilem omnem obpreſſerint, quemque ob apyrexiam hanc ominoſam ſaluum iam pronunciarint, ſubitanea morte apoplectica aut ſuffocatiua perdant, fatalem caſum ſtupeant, rariſſime autem cauſſam malorum inquirant ac cognoſcant.

Rariſſime enim cadauera talium victimarum luſtrantur, et caſus ipſe inter improuiſa memoriae vel forſan etiam chartae mandatur, vel ſi ſectum cadauer turgens ſero cerebrum aut pectus aut pericardium exhibuerit, conſcientiae et famae murmura ea obprimuntur declaratione, non morbum vltimum cauſſam mortis fuiſſe, ſed hoc belle percurato, antiquum iam et latentem hydropem partium nobilium mortem adduxiſſe. Timeo ne ex eadem ratione culpa

tot morborum chronicorum acutos ſequentium in malam reiicienda ſit medellam, ſaepius enim quid auditur? quam ſanato morbo acuto diuturna ſuperfuiſſe viſcerum coquentium grauamina, ſecuta fuiſſe mala hypochondriaca, hiſterica, radicesque varias poſitas aerumnoſae ac miſerrimae vitae, quae forſan omnia ex ſimilibus metaſtaſibus ad viſcera factis non tamen lethalibus oriuntur: ideam hanc confirmant obſeruata practicorum, quibus patet nonnunquam in cadaueribus hominum, qui poſt morbum acutum diu valetudinarii facti, demum altero morbo acuto occubuerunt, duplices tales inuentas fuiſſe metaſtaſes, vetuſtiorem vnam pſeudomembranis fortiſſimis craſſiſſimis vaſculoſis conſtantem, nouam alteram laciniis mollibus tenuibusque conflatam.

Quidſi metaſtaſes illae imperfectae adeo fuerint, vt materia haec, quae in aliis in formam pſeudomembranarum exſudat, in aliis intra vaſa reſtagnet, obſtructionesque viſcerum variorum moleſtas, tumoresque partium variarum momentoſos producat? plurimos ſaltem ſcio, qui ephemerides ſuorum morborum ab aliquo infeliciter transacto morbo acuto numerant; ſed redeamus ad noſtrum caſum, qui triſte ſatis exemplum talis metaſtaſis nobis proponit, num autem haec metaſtaſis iam facta fuerit, antequam noſtrae medellae ſubiiceretur, num illa poſt binas largas V. S. 23tia et 24ta Iunii obſeruata euphoria ſimile infidum ſignum metaſtaſis factae iam fuerit, vel num primo re-

cru-

eruleſcens a terrore et refrigeratione 25ta Iunii morbus infelicem hanc depoſitionem cauſſauerit primo, determinare non auſim; cum et vnum et alterum veroſimile ſat ſit.

Qui illud ad colon deſcendens inuentum pus pro effectu iam diuturniore morbi haberet, huic dicam purulentas collectiones et euacuationes ſaepe obſeruari ſine, vt inflammatio aliqua praegreſſa in ſubpurationem abiens, neceſſario requiratur; cui obſeruationes illae de phtyſi, qua verum pus ad mortem vsque eiiciebatur, a qua tamen pulmones nec hilum laeſi inueniebantur, ad demonſtrationem huius rei non ſufficerent, huic in memoriam revocabo, frequentes illos in morbis acutis ſubito et ſemel, ſine praegreſſa inflammatione partis, adparentes abſceſſus externos, primo iam momento ſincerum pus continentes, et inſtar omnium adducam caſum a me aeſtate anni 1772 in noſocomio practico Vindobonenſi viſum, vbi vir 36 annorum ſemper antea ſaniſſimus febre tali putrido inflammatoria laborans, poſt 6 V. S. melius habere viſus, ſubito oriunda graui dyſpnaea per triduum aucta, ſuffocabatur pulſu hoc triduo ſemper optimo, duodecima morbi die.

Cadauer exenteratum monſtrauit puris ſinceri non foetentis libras facile binas in thorace latentes ſine vlla laeſione vlceroſa pulmonum aut pleurae.

Ex iis autem, in quibus febris nullam partem ſingularem κατ' ἐξοχην, ſed vniformiter totum corpus tenebat, bini ſequentes caſus maxime ſunt notabiles. Suſce-

Suſcepimus 22da Iulii ſutorem 30 annorum maritatum, qui temperamenti atrabiliarii ante biennium ſcabie foediſſima laborauit, a qua vnctione aliqua externa ſanatus, incidit in haemoptoen largiſſimam, cui tamen nulla ſucceſſerat phtyſis, ſed tantum tuſſicula, et virium penuria. 12. Iulii h. a aſſumto bene prandio horrore corripitur per integram horam durante cum ſuccedente calore mordaci, his paullopoſt ſe adiunxerunt dolor ſyncipitis grauatiuus, vertiginoſus cum tinnitu aurium, deiectio animi magna, obpreſſio pectoris multa, cum reſpiratione anheloſa valde; altera die acceſſit nauſea et vomitus pituitae inſipidae cum ingenti dolore regionis gaſtricae ad adtactum; tertia die morbi vocatur chyrurgus, qui exhibet hauſtum diaphoreticum, vnde copioſiſſimis noctu difflueret ſudoribus, die quarta ab eodem artifice recipit pillulas, quae copioſiſſimam purgarent tota die aluum, ſed ſine leuamine, quin ingente virium proiectione. Quinta morbi die exeunte ad fratres miſericordiae defertur, ibi vena ſecatur.

22da Iulii illum in noſocomio inuenio, et ad meos lectos recipio, qui tunc pulſus habebat perceleres contractos, reſpirationem etiam paruam, anxietates cum obpreſſione pectoris multas, tuſſiculam frequentem cum reiectione exigua, laborioſa, pituitoſa, foetida, ſitim et calorem magnam, adpetitum proſtratum cum amaritie oris, et regionis gaſtricae verſus hypochondrium ſiniſtrum praeſertim, dolorem ad attactum maximum: aderant praeterea

terea capitis dolores tenſiui cum aurium tinnitu, oculi triſtes, ſquallidi, facies lurido fuſca, lingua alba, viſcida cum multa pituitae in faucibus collectione, cutis ſicca arida, et vti hoc hominum genus eſſe ſolet, ſpurciſſima, vrina pauca, flammea, ſtrangurioſa, aluus nulla, data ſunt miſt. ſalin. mitis et decoct. reſolu.

23tia Iulii febris nonnil minor, pulſusque liberiores, ſed dolores ſyncipitis et regionis gaſtricae iidem, nauſea et amarities oris maior, ſitisque magna, aluus, quae per biduum ſubpreſſa fuerat, iam profluxit, ſed tenuis, viridis, ſincera, ſpumoſa, vrina praerubens pauca clara, cutis ſicca flauensque, veſperae omnia exacerbabantur nocte inquietiſſima.

24ta Iulii ſumma virium proiectio, ſubalienata mens cum moerore, difficultate ad reſpondendum, et auditus grauitate; aluus frequens, bilioſa, ſincera; caetera omnia eadem; poſt meridiem exacerbatio iterum ſine horrore inſignis.

25ta Iulii mane febris vigor remiſerat iterum, ſed dolores capitis cum tinnitu aurium iidem, ad veſperam exacerbatio ſimilis cum ingente ſiti, cuti ſemper ſicca arida; caetera eadem.

26ta Iulii cum hodie de doloribus ſyncipitis tenebricoſis, et dolore regionis gaſtricae maxime conquaereretur, linguaque ex albo flaua foetorem ſpargeret cum multa amaritie, emeticum datum fuit, a quo octies vomuerat amariſſima viſcidaque, et bis aluum deiecit vere vitellinam ac perfoetidam. Nox longe inde quietior

prioribus,

prioribus, poſt emeticum dabatur decoct. radic. arnicae.

27ma Iulii febris mitior, pulſus liberiores, aluusque non tenuis amplius, dolores autem capitis cum tinnitu et grauitate auditus iidem, lingua ſicca et hinc inde aphtis exiguis flaueſcentibus obſita, reſpiratio anxia, laborioſa, vox rauca, et vrina noctis elapſae turbida, ſed non deponens, veſperae exacerbatio omnium, et aphtarum proruptio plurima, dabatur hodie ſerum lactis vinoſum et decoct. Arnicae.

28ua Iulii febris mitior quidem, ſed non ea ratione, qua ſi aphtae criticae fuiſſent, minui debuiſſet, dolores capitis mitiores, ſed aure ſiniſtra pus ſtillare incipit, dolores ad epigaſtrium maiores, attactum non ferentes, venter cum meteorismo fluxilis, ſingultus, quoties quid aſſumeret aeger, vrina pauca, flammea, cutis arida: dabatur decoct. emoliens et cataplasma emolliens, et ſimile gargarisma.

29. Iulii obpreſſio et anxietas maior, et magna deglutitionis difficultas, inſpectis faucibus vidimus poſticam earum partem ab aphtis iam deciduis nudam praerubentem, ſed plurima viſcida pituita obpletam, dolores ad epigaſtrium et ſingultus continuant, ſitis autem ceſſat. Veſperae exacerbatio magna iterum, decoct. vinoſ. cum gum. arabi.

30ma Iulii febris magna, difficilis reſpiratio, deglutitio difficillima, aphtaeque iterum plurimae, aluus obſtructa, vrina ſtranguerioſa, dolores in ſupremo pectore fixi, ſitis exigua,

praeſens

praeſens tamen mens. Veſperi exacerbatio iterum magna.

31ma Iulii pulſus frequens, vndoſus, mollis, reſpiratio perceleris, ſingultus, dolores capitis et epigaſtrii, auditus grauis, aluus obſtipa, vrina rubra ſtrangurioſa, lingua aphtis cruſtoſis obſita, ſitis nulla, facies lurida, ſubtumida, iam rubens iam pallens, exacerbatio veſpertina peſſima; inde veſperi veſicantia ſuris adponebantur.

1ma Auguſti nox fuit inquietiſſima, iactatione corporis impudica, ſed hoc mane febris multum imminuta, reſpiratione liberiore, et imminutis inſigniter doloribus capitis, ſtillante iam pure ex vtraque aure, quibus cataplasma emolliens adponebatur, caetera continuabantur.

2da Auguſti nocte praegreſſa inſomni calor ad adtactum mordax, pulſus parui celeres, reſpiratio ſtrepens, lingua hinc inde a deciduis aphtis libera ſicca ac rubens, ſiti tamen nulla, deglutitio difficilis, et ab omni deglutito ſingultus, dolores epigaſtrii continuant, vrina pauca, haeeque cruda flammea, aluus ſicca; veſperae circa horam 7mam horror acceſſit grauis ſubſequo calore.

3tia Auguſti nouae ſurrexerunt aphtae, praeſertim in fundo faucium, febris tamen aucta, pulſu celeriore maiore et ſubduro, oculi ſquallidi, facies tumidula, inquietudo et iactatio multa impudica, ſurditas ceſſante puris fluxu, ſudor circa iugulum et frontem pinguis, reliqua

cutis

cutis arida, aluus obſtructa, vrina nulla; dabatur decoct. emolliens cum oxymelle ſquillitico pro potu et gargarismate.

4ta Auguſti nox inquietiſſima cum anxietatibus maximis, dies peſſima auctis ſymptomatibus heſternis omnibus.

5ta Auguſti pulſus perceleres parui, intermittentes, reſpiratio peſſima, foetor oris ſummus, aluus ſemel deiecta, ſincere flaua foetidiſſima, vrina copioſa turbida ex fuſco nigreſcens, debilitas maxima ac nullae dolorum querellae. Dabatur decoct. corticis peruv. et decoct. vinoſum ſine liquore anodyno.

6ta Auguſti veſiculae milliares communibus longe maiores, forma irregulares proruperunt copioſae, nullum tamen inde leuamen, vrina pallida mingebatur, lingua ob cruſtam denſam aphtoſam immobilis fere, ac deglutitio difficillima, aluus nulla, foetor intollerabilis circa aegrum, et tuſſi multa ſputa prodierunt foetentia inter mucum copioſa ramenta aphtoſa continentia; caetera eadem continuabantur omnia, addita miſtura camphorata, et balneo vaporum ex aceto pulmonibus hauriendo, talia etiam perſtitere 7ma et 8ua Auguſti.

9na Auguſti anxietates ſummae erant, pulſus celerrimi vix perceptibiles, cum ſubſultu tendinum, tuſſis et ſputa eadem, facies torua, oculi fixi illacrymantes, vrina pallida, ſudor pinguis frontis, cum extremitatum frigore, linguae tremor conuulſiuus, ſicque inter anxieta-

tes

tes maximas 10ma Auguſti, 29na morbi ſui die ineunte conuulſus periit.

In anatome fauces inueniebantur exulceratae, vniuerſa aſpera arteria et bronchia muco aliquo viridi et tenaciſſimo obducta, pulmones diſciſſi vndique tales ſquammulas albas aphtoſas praeſentabant, hinc inde etiam puncta purulenta, ſine vllo tamen detegendo vlcere, preſſi pulmones magnam quantitatem ſaniei virideſcentis, ſpumoſae, ac copioſa ſimilia ramenta aphtoſa continentis ſtillabant. Ventriculus non multum inflammatus nec aphtoſus, lien duplo maior, caeterum naturalis, ſed hepar duriſſimum non tamen praeternaturaliter rubens, duodenum maiore inflammatione tenebatur, et vna cum veſicula fellea naturali maiore ſcatebat bile crocea viſcidiſſima; caetera naturalia.

Nonnil amplius hunc caſum enarraui, vt progreſſus truculenti huius morbi pateret eo clarius.

Neglectus per primos decem dies, et perverſa plane medella tractatus morbus non parum malignitatis inde contraxit, ſed parcior hoc in caſu emeſis et ſuam addidiſſe malo partem videtur, cur autem tardius ad emeticum confugerim, et cur id non repetierim, obſtitit ante biennium perpeſſa illa violenta haemoptoe, cuius aut recidiuam timueram, aut etiam ex ea reſtantem forſan vomicam perſaepe tam artificioſe tectam.

Caeterum quid magis miror, neſcio, num varios illos multiformesque naturae conatus

morbum

morbum ſubigendi euacuandique, num morbi refragariam pertinaciam, qua demum etiam naturam hanc validam actiuuamque obpreſſit.

Pulcre hoc exemplum, Grantii confirmat monitum, ne ſub aphtis erumpentibus praebeantur adſtringentia metu, ne aphtae ad pulmones ruant, quas et hic ad pulmones ruiſſe anatome et vltimarum dierum ſputa demonſtrarunt, quamuis nonniſi tardiſſime et pridie tantum, antequam illa ſputa adparuerint, decoct. corticis adhibitum fuerit, et quamuis dubium ſemper ſit, num non reuera aphtae pulmonum ſine aphtis primarum viarum exiſtere poſſint, et hic forſan reuera exſtiterint, cum anatome nullam aphtarum notam in ventriculo detexerit.

Alter mirabilis ſimilis morbi caſus feliciore euentu gaudebat; ſuſcepi enim 24ta Iulii iuuenem 24 annorum pincernam vini, qui 12ma Iulii ſine aliqua cauſſa euidente horrore valide correptus fuit, ſubſequo calore multo et dolore capitis. 15ta Iulii emeticum ſumſit magno cum effectu, ſed ſine leuamine, dein miſturam Hoffmannianam adhibuit eo euentu, ut tandem cogeretur in noſocomium ſeſe recipere.

24ta Iulii obſeruabatur mane pulſus durus, celer, reſpiratio grauis anheloſa, dolores nulli, facies rubentiſſima, os paſtaceum et plurimo glutine ad imas fauces vsque ſcatens, adpetitus nullus, ſitis ſumma, vrina rubra crudaque, aluus tenuis ſpumoſa flaua, ordinabatur V. S. vnc. x. et miſt. ſal. mitis et decoct. antiphlogiſticum, ſanguis V. S. cruſtam habuit

exiguam

exiguam tenacem, cruorem vero mollem, veſperi peiora omnia cum capitis doloribus.

25ta Iulii noctu delirauit, multaque obmuſſitauit. Pulſus et reſpiratio vt heri mane, os ac lingua ſicca, paſtacea, glabra, dabatur emeticum, a quo decies vomuit, et octies purgatus fuit bilioſa viſcida.

26ta Iulii nox inquietior, ſed hodie ſoporoſus decumbit ſupinus, ad interrogata tarde et difficulter reſpondens, ſeque perbene valere dicens; dabatur iterum miſt. ſal. mitis, et decoct. antiphlog.

27ma noctu ſemiſoporoſus ſat quiete iacuit; pulſus mane minus duri ſunt, reſpiratio anheloſa, indifferentia animi eadem, rubor faciei magnus, lingua ſicca, cruſta nigra, obtecta, aluus continuo fluxilis tenuis praeflaua, vrina rubra nil continens; praeſcribebatur ipecacuanhae dra. *ʒʃs*. vt inde fiant puluer. Nro. vi. vt omni $\frac{1}{4}$ hora vnam doſin ſumeret, donec vomuerit, ſed ex prima doſi vomuit octies, et ſexies purgabatur, nil dormiit, quiete tamen iacens.

28ua Iulii nil ſe dolere, ſeque bene habere dixit, pulſus tamen et reſpiratio longe alia loquuntur, linguaque aeque ſicca, et cruſta fuſca nigra, tecta, vrina cruda rubra, aluus tenuis, ſpumoſa, bilioſa, ſopor ac ſtupor; duo ergo ordinabantur veſicantia ad ſuras, et dabatur miſt. antiſeptica et decoct. vinoſum.

29na ſenſit noctu dolores veſicantium, indeque nil dormiuit. Pulſus hodie liberior, ſed aeque celer ac heri, lingua eadem, aluusque

que hodie vltra 16 depoſita tenuis, ſincere bilioſa ſine leuamine, vrina tamen enaeorema copioſum demiſit, hinc decoct. vinoſi loco datum fuit decoct. antiſept. Veſicantia optime traxerunt: veſperae exacerbata omnia.

30ma Iulii parum dormiit, lingua pulſusque idem, vrina nil iterum continens, aluum 8 habuit praefoetidam, ſpumoſam, virideſcentem, et in faucibus aphtae adparent; veſperi omnia exacerbata.

31ma melius dormit; pulſus idem, lingua nonnil humeſcens, aluus quaterna eadem, vrina copioſo enaeoremate ſubſidente gaudet, aphtae copioſiores et albae.

1ma Auguſti per interualla bene dormit cum ſudore vniuerſi corporis, aluum quinquies habuit plumbeam, ſpumoſam; vrina cruda iterum, lingua humida et nonniſi ad radicem flaueſcens, aphtae decidunt, ſed veſicantia gangraeneſcunt, et ſitis ingens; augebatur doſis ſpir. vitrioli in decoct. antiſeptico, et dabatur linctus ex oxymelie ſquillitico et ſyrupo papaueris albi.

2da et 3tia Aug. pulſus adhuc febrilis, ſopor fere idem, caetera omnia eadem.

4ta Aug. his excretionibus per aluum et cutim continuantibus acceſſerant nunc etiam ſputa glutinoſa, pura, ſubcocta, indeque pulſus et reſpiratio inſigniter meliorabantur.

6ta Aug. prima vice ipſe de debilitate et dolore artuum conquerebatur, veſicantium praeſertim, in quibus nunc eſchaera ſeparari incipit,

pit, ſicque tarde laborioſe, partitis criſibus veſpertina quotidie praegrediente exacerbatione tandem conualuit perfecte 24ta Auguſti, die morbi 42.

Quis non videt analogiam binorum horum morborum exitu tamen adeo diſcrepantium? ſed etiam prudentior hic iam domi ſuae adhibita medella ſi morbum non minuit, nec auxit tamen, vti in primo caſu factum fuit.

Similes plus minusue fuerunt febres reliquae vniuerſales omnes, quas tunc temporis in noſtris lectis habuimus, niſi quod tantum hi bini aphtis praehenſi fuerint, primus peſſimis, alter benignis; tarditatem autem ac difficultatem cryſeos in omnibus experti fuimus magnam, vnico excepto, in quo artificiales cryſes plurimas effeceram, ter enim venam ſecui, quaterque emeticum exhibui, ſicque 9na die morbi in integrum ſanus diſceſſit, et perſtitit.

Erat ergo reuera indoles morborum mixta ex inflammatorio et pituitoſo aut bilioſo, id enim docuit initium decurſus et medella eorundem.

Quam leuis et facilis quandoque morbus peſſimis ſub ſymptomatibus, dum econtra non raro ſub leuiſſimis ſymptomatibus contumaciſſimus ſit, ex ſequentibus confirmabitur.

Venit menſe Iulio in noſocomium iuuenis 25 annorum ſequentia narrans, ſe ab octiduo iam febre laborare quotidiana, cuius paroxyſmi veſperae hora 6ta ordinatim ingruerent cum horrore et frigore, et tanta dolorum omnium artuum,

lumborum

lumborum praeſertim acerbitate, vt in lecto non ſolum, ſed plane in terra furibundus ſe circumuolueret, ac non raro plane conueleretur, qui dolores vna cum calore per quatrihorium durarent, largo dein ſudore ſoluerentur. Cauſſam ſui morbi adſtruebat iter diu noctuque ſub inclementiſſima ac ſumme variabili aura ſuſceptum. Finito paroxyſmo dormiit, altero mane ſurrexit, ſed dedolatus ac aegritudinem plurimam ſentiens; haecce narrauit tempore matutino, quo pulſus febrilis tremorque artuum, ac concuſſiones ſine horrore obſeruabantur, caeterum de nulla re conquerebatur, linguaque puriſſima inueniebatur, praeſcripſi miſturam ſalinam mitem, et decoctum reſoluens, donec nempe poſt prandium viderim paroxyſmum, ſed mitior is iam longe fuit, ſine horrore ingruens, ſine multo dolore progrediens, ac intra bihorium ſudore finiens, ſicque intra octiduum ſimplici hoc remedio ab omni liberabatur morbo.

Menſe Auguſto ſartor correptus fuit ſimili quotidiana rheumatica, quae V. S. aliisque antiphlogiſticis ab initio, dein cortice tractabatur, fugabatur inde quidem febris, ſed reſtitit omnium membrorum arthritis non valida quidem, ſed refractaria adeo, vt nec ſoluentiſſimis nec euacuantibus nec alteratibus nec ☿alibus, nec veſicantibus nec cuicunque alteri remedio cederet hilum, ſicque aeger non ſanatus ad ſuos redierit iterum.

CAPVT

CAPVT IV.

Conſtitutio autumnalis anni 1780.

SEPTEMBER.

Primis tribus diebus calores magnos cum pluuiis ac tonitru, ſpirante Aquilone, dein vero magnam vbique ſiccitatem experiebamur, coelo vt plurimum pacato ac ſereno, calore perſiſtente notabili.

Die 19na menſis pluuiae, nubes ſolem obuclantes, nebulaeque redire coepere, flatibus auſtrinis, calidis ſatis, praeſentibus.

Die 5ta Septembris veſperi maxima erat Mercurii altitudo . 27 poll. 7 lin. 8 cent.

Die 30ma veſperi minima , . . . 27 poll. 2 lin. 8 cent.

media . 27 poll. 5 lin. 30 cent.

Die 1. veſp. calor maximus + 22°. 0

Die 25. 27. mane minimus + 5°. 0

medius . . . . + 13°. 50.

OCTOBER.

A menſis prima ad 14tam vsque coelum potiſſimum nubibus deturpatum; pluuiis inundabatur terra noctu potiſſimum cadentibus, ſpirabat auſter, vnicam ſi exceperis menſis ſeptimam, vbi coelo pacato nebula denſa telluris ſuperficiem occupabat.

F Alterum

Alterum menſis dimidium nebulis horri-dum denſiſſimis, deciduis plerumque, eodem ſpi-rante vento. Frigus necdum imminebat mul-tum, humiditas telluris ſumma.

Die 13tia Octobris ſumma Barometri ſta-tio fuit . . . . 27 poll. 7 lin. 7 cent.

Die 2da mane infima

. . . 26 poll. 11 lin. 0 cent.

media . 27 poll. 3 lin. 35 cent.

Die 2. veſp. calor maximus + 15° . 4.

Die 24ta mane minimus + 2° . 8.

medius . . . + 8° . 90.

NOVEMBER.

Menſis dies primi pluuioſi, Zephiris ſpi-rantibus, coelo nubibus obducto.

Die 6ta niues primae decidebant, conti-nuantes per aliquot dies tellüremque obtegen-tes, frigore increſcente; inde pluuiae ſub flati-bus auſtrinis habebantur; niuibus crebro mi-ſtae.

Die 18ua frigus intendebatur, pruina ha-bebatur coelo pacato; ab eo pluuiae denſae v-que dum 23tia pruina haberetur fortis, frigu-que intenſius.

Vltimi dies ſereni erant, ſub aquilonis fl-tibus; nebulae frequentes conſpiciebantur de-ciduae matutinae.

Die 29na veſperi maxima Mercurii ſtati-fuit . . . . . 27 poll. 10 lin. 0 cen-

Die

Die 24ta mane minima
. . . 26 poll. 11 lin. 0
media . . 27 poll. 4 lin. 50 cent.
Die 13. 14. veſperi calor maximus
. . . . +9° . 0
28ua minimus mane —3° . 0
medius . . . . . +3° . 0.

Cum menſibus Septembre et Octobre ferientur collegia, in noſocomio obſeruationes nullas facere potueram, ſed de autumni huius conſtitutione partim ex praxi vrbana, partim ex reliquiis huius conſtitutionis menſe Nouembre inuentis loquor. Ex his autem comperi morborum acutorum copiam exiguam, et qui ex chronicis caput extollerent, tantum fuiſſe binos, tuſſim conuulſiuam infantum, et febres intermittentes, quartanas quam maxime.

De tuſſi conuulſiua id obſeruaui, quod iam ante me plures alii, eam nempe minime eſſe contagioſam, nec morbum ſemper ſui generis ſed plerumque ſaburram aut mucoſam aut bilioſam, aut verminoſam eandem producere, 2do. id etiam effici per ſtimulos longe alios plures, qui neruos fibrasque alias ſenſiles laceſſiendo ſympathicum hunc motum conuulſiuum virium pectoralium producere valent, vt inde hanc tuſſis ſpeciem inter ſymptomata potius, quam morbos referre mallem.

En elegantem huius morbi caſum. Puella triennis pinguiuſcula ac ventroſa, tuſſi hac conuulſiua corripitur exeunte menſe Octobri

cum ſebricula, anhelitu continuo, adpetitu imminuto, et vomitu ſub finem cuiusuis paroxyſmi, nulla tamen horum paroxyſmorum inueniebatur regularitas, ſed iam ſemel, iam etiam ter aut quater in die paroxyſmo corripiebatur. Puella haec omni poſſibili medicamento ſumendo tam acriter reſiſtebat, vt, ſi ui infundere tentarent parentes, conuelleretur, et coactus ergo fuerim ad talia confugere, quae nec odorem nec ſaporem nec faciem vllam haberent medicamenti, haberent tamen virtutes conuenientes, idque fuit crem. tart. emeticus, cuius ſolutionem fieri curaui, a qua prima die tanta in ſuum caffe funderetur doſis, quae vomitum aliquoties ciere valeret, binis ſubſequis diebus eius doſeos dimidia tantum pars ſuae pro potu inſeruienti cereuiſiae admiſceretur, donec quarta die iterum quantitas ad vomitum efficiendum ſufficiens ingereretur; hacque methodo exacte adhibita intra tres ab initio morbi numerando ſeptimanas conualuit perfectiſſime.

Fraterculus huius puellae 8 menſium ſub morbo ſororis ſimili tuſſi corripi cepit, ſed huic ab initio illico eadem adhibita medella intra octiduum morbum ſuffocauit.

Quandoque euacuatis ſufficienter viis primis et ſecundis, tuſſis continuauit, facile autem amaris ſtomachicis leuibusque neruinis tunc ceſſit.

Eſt inde, cur tuſſim conuulſiuam ſimplicem neruoſam, aliam cum materia gaſtricam, aliam inflammatoriam ſeu ſanguineam diſcipulos doceam, demonſtrauerim etiam. Febres intermittentes

mittentes permultae hoc autumno fuerunt, eaeque paſſim tertianae ſed longe plurimae quartanae, quae ad hyemem vsque protrahebantur.

In nulla noſtrarum intermittentium corticem adhibui, omnes tamen ſanaui, ita ut cum etiam in ſcopum antiſepticum rariſſime cortice vtar, ſumtibus noſocomii plurimum parcam.

Caeterum mei parum intereſt, num febris quotidiana, num tertiana, num quartana, eaeque ſimplices, num duplicatae aut triplicatae fuerint, reſpectu enim ſolius huius differentiae omnibus eandem facio medellam; hanc diuiſionem vt ſumme accidentalem, et varietatem vltimam febrium intermittentium conſiderans: ſub eadem nempe quotidiana febre natura eius febris diuerſiſſima eſt, et viciſſim eadem natura ſua febris v. g. bilioſa iam remittens, iam intermittens quotidiana, iam tertiana, iam quartana, iam ſimplex, iam duplex tam in variis, quam etiam eodem in ſubiecto ſaepe eſt; indeque diuiſione in quotidianas, tertianas &c. ſolum in prognoſeos gratiam vtor, quam nempe nonnil mutant variae hae febres.

Quin perinde habeo, ac tracto febrim eam, quae inter acutas aut quae inter intermittentes refertur, nec in quacunque intermittente corticem exhibeo, niſi et illum in eadem febre, ſi continua fuiſſet, exhibuiſſem.

Cum igitur febres dentur intermittentes ſolo opio, cortice, alioue ſimili neruino, quin adfectu etiam animi ſanandae, aliae V. S, nitro tart. aliisque antiphlogiſticis tollendae, aliae

iterum

iterum ſolis ſoluentibus acerrimis, ſimilibusque euacuantibus pellendae, aliae iterum emeticis, catarcticis ſaponaceisque antibilioſis blandis fugandae, aliae demum ſummis antiſepticis cedentes, eas vti acutas in ſimplicem ſeu neruoſam, et in compoſitam, eamque aut inflammatoriam, aut pituitoſam, aut bilioſam, aut putridam diuido, ac pro talibus inueniens etiam iis medeor.

Hanc doctrinam non ſolum verbis profiteor, ſed diſcipulis ad lectum aegrorum demonſtraui. Fuere autem inter caeteros, quos menſibus Nouembri et Decembri in noſocomio habuimus intermittente adfectos, notabiles quatuor.

Vnus qui iam menſe Septembri febre quotidiana laborauit, ſaepe per aliquot dies fugam mentiente, iam mox ex inſidiis redeunte, cum ſcabie foeda adeo, vt peiorem viderim nunquam. alter, qui tertiana adfectus fuit, idque a menſe Auguſto, tertius, quem iam a menſe Iulio quartana tenuit, cum nunc accedente anaſarca a quatuor iam ſeptimanis, vltimus, qui etiam quartanarius, ſed lignei trunci adinſtar rigidus aſper ac imperſpirabilis fuit. Primos tres eadem methodo tractaui, et feliciter ſanaui, cum enim apud ſecundum et tertium ſaburrae nullae adfuerint notae, nullam euacuationem ſolennem inſtitui, primo autem emeticum exhibui, omnibus dein ſaturatum decoctum flor. Arnicae cum ſale ammoniaco dedi eo effectu, vt pri-

mus et a febre et a ſcabie, tertius et a febre et ab anaſarca in integrum liberarentur.

Sed res haec non aeque ſucceſſit in quarto, huic enim et decoct. et flor. arnicae in ſubſtantia maximis etiam doſibus dati nil effecere, ſal ammoniacus tum ſimplex tum martialis ad vnc. *ʒjſ.* de die nil iuuit, puluis ſemin. ſynapi ad vnc. *jſ.* hoſtem debilitauit, non fugauit, cort. peruv. ad vnc. i. quotidie datus, per octiduum febrim nec hilum mutauit, omniaque alia ad intermittentes fugandas laudata auxilia acie omni contra hunc morbum carebant, excepto vno mox dicendo. Fuere autem omnes febres intermittentes huius conſtitutionis ex indole pituitoſarum, vti lingua, facies, frigus continuum et pallor, caeteraque demonſtrarunt ſymptomata.

Quadraginta et vltra iam anni ſunt, quibus dilectiſſimus, ac omni practico ob practica ſua merita venerabilis Pater meus febrifugo heroico vtatur, arſenico nempe, non ſolum certo ſed tuto etiam ſemper cum effectu: hoc etiam remedio, caeteris omnibus nil iuuantibus in hoc vſus ſum homine, et ad tertiam remedii doſin rebellis haec, ac Americanis indomabilior febris palmas tandem dedit, homine paullopoſt etiam vires tot pugnis exhauſtas, recuperante.

Nullus ſpero de nouitate hic clamabit, huic enim ex antiquioribus ſua praxi authoribus commonſtrabo rem nouam hanc minime eſſe, ſed tantum ex obliuione reductam.

Eo

Eo minus quis de audacia me aut Patrem meum accuſabit, in prudentis enim medici manu nullum remedium, in imprudentis autem manu et leuiſſimum audaciam redolet. Argumententur contra Theoretici quidquid voluerint, caſus hic docuit febrim etiam omni febrifugo ali reſiſtentem, huic reſiſtere non potuiſſe; praxis mei patris docuit, innumeros ſolo hoc remedio a febre cito, tuto et iucunde fuiſſe ſanatos, et non deſunt celebres practici alii ſimili fiducia, ac eodem ſalutari effectu hoc remedio hodiedum vtentes *), vt ſpes certo ſit ſaniore nunc cognita methodo medendi febribus intermittentibus, ſub qua perraro febrifugo aliquo ſpecifico egemus, et cognita nunc heroica virtute antipyreta arſenici, fore, vt pretioſus, nauſeoſus, et vt plurimum fucatus cortex noſtram crumaenam non euerrat, et alienam non impleat amplius.

Si ex imprudenti adplicatione huius remedii mala varia obuenerint, et adhucdum obueniant, ne is remedium ſed medentem culpet, rogo, idem enim argumentum et antiquitus obponebatur, et hodiedum quoque obponitur cortici.

Arſenico tamen ſimplici nec vtitur pater meus nec ego, ſed ſequente formula:

R,

*) Iacobi, le Febure.

R. Arſenici albi.
Myrrhae electae.
Piperis longi.
Terrae ſigillatae rubrae āā dra. ij.
Flor. ſulphuris vnc. *ſs.*
Bezoard. mineral. dra. i.

M. ac F. puluis ſubtiliſſimus, de quo hora vna alteraue ante paroxysmum ſumantur, gra. vi. aut vijj. cum infuſo flor. Sambucci, chamomillae &c.

Poſſem facile argumenta adferre, cur haec omnia arſenico addantur, et addita fuerint, quia aromaticis, primae viae in febribus ſemper peccant s, erigantur, floribus ſulphuris vis ipſa deleteria arſenici infringatur, et calce antimonii ſimile quid obtineri videatur, cum arſenicum, qua acidum calci ſe iungendo in ſalem medium mutetur, et inde Dehenne in diario medico chyrurgico pharmaceutico a Vendermonde edito in Tomo X. pag. 330 huius Bezoardici mineralis antidotam contra arſenicum virtutem laudarit, ac obſeruatione comprobauerit, ſed haec arſenico addo, quia per tot innumera obſeruata mei patris hac ſub miſcella datum arſenicum nunquam ſiniſtrum ſortitum fuit euentum, dum econtra ſub varia alia methodo datum arſenicum ignominia non caruerit; vide Illuſtriſſ. Störk an. medi. I. p. 79 et 80, et Clariſſ. Trnka *hiſt.* febr. intermitt. T. I. p. 397.

Hucusque ſaltem nec patri meo, nec mihi rebellis adeo comparuit intermittens, quae non tribus ſaltem huius remedii doſibus ceſſiſ-

ſet,

ſet, vt ergo, ſi omnia reliqua remedia fallant, in hoc ſacra adhuc ſperanda ſit anchora.

Operatur remedium mira varietate, aliqui enim vomunt, alii purgantur, alii ſudant, aliis largiſſima mouetur diureſis, haecque ſine multo incommodo.

Si quid mali productum inde obſeruabatur, id omne conſiſtebat in tumore faciei oedematoſo, qui autem copioſo potui diuretico ceſſit ſemper, et facile.

Suſcepi ſub finem autumni hominem 30 annorum a febre tertiana, qua Septembri laborauit, peſſime habitum. En ipſius hiſtoriam. Initio Septembris corripiebatur febre tertiana, ad quam fugandam nullo alio praemiſſo medicamento ab agyrta ſumſit guttas, ex quibus febris fugabatur illico, vt homo textorio ſuo munere fungi iterum potuerit, poſt quatuordecim dies denuo paroxyſmo febrili corripitur, eoque valido et cum ſummo ventris dolore, nauſea, vomituritione, amarore oris et ſiti. Chyrurgus in opem adductus, venam ſecat cruris vnius, et cum poſt bihorium malum augeretur, ſecuit etiam altero in crure, et en! medio, dum ſanguis flueret, homo animi patitur deliquium, ex quo aqua frigida facile excitatur quidem, ſed cruribus ambobus perfecte paralyticis factis, aufugit chyrurgus, et miſerum ſuae reliquit miſeriae. Remediis fere nullis, ſi empyrica aliqua externa excipias, vſus fuit per Octobrim et Nouembrim, cum nempe praeter paralyſin crurum, quam tantum debilitatem

eſſe

eſſe credebat, nil ipſi deeſſet, ſed tunc percipiens ventrem ipſi tumere, auxilii inueniendi cauſſa in noſocomium ſe recepit. Inuenio illum ibi exeunte Decembri, audioque omnia praedicta, praetereaque dolores tenſiuos circa diaphragma et lumbos adeſſe, anxietatem pectoris, aluique raritatem et ſiccitatem, videoque ventrem aequabiliter quidem quoad ſuperficiem, ſed inaequaliter ratione figurae tumentem, tumoris enim maxima eleuatio circa ventriculum et vmbilicum eſt, latera autem complanata; pulſatus venter reſonat, leuiaque fluctuationis ſigna exhibet, crura frigent, flaccida ac immobilia pendent, nonnil tument, nihilque ſentiunt, vtut acriter vellicata. Pulſus ſunt naturali celeriores, aequales tamen, ſed parui ac molles, adpetitus bonus, ſitis exigua, flatus ac borborygmi nulli, facies coloris vti limus. Suſcepi hominem inſanabilem in ſtudioſorum gratiam ob caſus complicationem et raritatem, et vt inteſtina tympanitica ipſis in anatome exhibendi eſſet occaſio. Exhibui per 10 ſeptimanas auxilia contra hunc morbum laudatiſſima tam externa quam interna, eaque ex eorum praeſertim genere, quae paralyticas fibras muſculares tum crurum tum inteſtinorum excitare roborareque poſſent, ſed incaſſum omnia, progrediebatur indies malum, accedente praeſertim nunc tuſſi moleſtiſſima fere conuulſiua, quam tamen largae extracti hyoſciami doſes ſopiebant in integrum. Cumque tunc nonnil commodius haberet, radicale autem ſuum malum

nec hilum emendari videret, in noſocomio vlterius manere noluit, ſed ad ſuos rediit, vt inde exitum morbi, quamuis facile praeuidendum, neſciam.

Quid hic infelicius ceſſerit, num praematura illa febrifugi exhibitio, num inopportunae illae V. S. facile patet, valuit enim poſt fugatam febrim quatuordecim diebus integris, et dum tunc natura, induciis finitis, certamen redintegrare vellet, ibique clare ſat indigitaret, vbinam hoſtis lateret, et qua via expellendus foret, infelix medicaſter binis ſuis V. S. opus naturae turbauit non ſolum, ſed et ipſam naturam ſubuertit, fregit. Confert ſaltem hic caſus ad hiſtoriam V. S. complendam, de qua optandum eſſet, vt infelices tales, V. S. perperam factarum effectus diligentius a practicis adnotarentur, vnde practicis quoque innoteſceret, V. S. non minus dubium ac periculoſum eſſe auxilium, quam emeticum et quodcunque aliud heroicum remedium.

Vtut aeſtate et primo autumno dyſſenteriae fere nullae fuerint, tardo autumno eae non rarae adparuerunt, habuimus autem menſe Nouembri binos dyſſentericos, opifices ambos ſedentarios, qui vtut grauiter adfecti fuerint, facile tamen et cito emetico, multisque catarcticis in largo potu exhibitis, curabantur.

Eodem etiam tempore multae in vrbe adparuerunt colicae billioſae ſiccae, quae etiam ſolis euacuantibus ceſſerunt, ingenti ſemper ſaburrae viſcidae et bilioſae copia exturbata.

Dyſſenteriam

Dyſſenteriam ita dictam catarrhalem dari nemo practicorum negabit, ſed omnem dyſſenteriam catarrhalem aut ſimplicem aut compoſitam eſſe dubito, idque rationibus ſequentibus. 1) Materiae catarrhalis nomen quidem, ſed naturam non noſco, etiam nulla datur ſtricte dicta materia catarrhalis, ſed quiscunque ſtimulus praeternaturalis membranis pituitariis intime adplicatus eum producit effectum, quem catarrhum nominamus, ſic a ſuppreſſo perſpirabili oritur catarrhus, ſic ab acribus exhinis, a ſimplici puluere publicarum viarum, aut frumentorum agitatorum, ſic a ſaburra acri biliosa oritur catarrhus genuinus quoad omnia ſymptomata adeo, vt difficulter eum ab alio interſtinguas, ſic venenum gonorrhaeicum his membranis adplicatum, verum catarrhum inducit, vt ergo catarrhi materies propria ac ſpecifica nulla ſit, vſu venit autem et pathologis et practicis, vt ſub termino materiae catarrhalis intelligant materiam tranſpirabilem ſubpreſſam; ſed in omni dyſſenteria materiae perſpirabilis ſubpreſſionem aut eſſentiam, aut ſaltem partem morbi conſtituere obſeruationibus non congruit, dyſſenteria enim a venenis, a purgantibus reſinoſis, dyſſenteria phtyſicorum, febrium putridarum manifeſte perſpirationis ſubpreſſionem nec pro cauſſa nec pro comite habet, vt potius omni in hoc caſu ſudoribus fere diffluant aegri, praeterea, nulla nec leuiſſima cauſſa perſpirationem ſubprimere valente admiſſa, dyſſenteriae ſaepe foedae oriuntur; quin obſeruationes fidiſſimae

docent,

docent, ſolum putridum ſanici dyſſentericae halitum homines etiam ſaniſſimos in ſimiles conieciſſe dyſſenterias, vt ergo certum ſit, non in omni dyſſenteria materiae perſpirabilis ſuppreſſionem adeſſe, ergo nec dato hoc conceptu catarrhi, omnem dyſſenteriam plus minus eſſe catarrhoſam. Inde etiam dyſſenteriam adſtruo aeque variam vti febres, neruoſam vnam, inflammatoriam alteram, tertiam pituitoſam, bilioſam quartam, et putridam quintam, quae iterum variae dyſſenteriae tum inter ſe, tum cum catarrho inteſtinorum, aliisue malis componi poſſunt.

Eadem mihi eſt de rheumatismo ſententia, infelix enim catarrhi ac rheumatis idea tot forſan ſuſtulit aegros, quot illa idea morborum malignorum a Sydenhamo feliciter exploſa et expulſa.

Et quid forſan melioris conditionis eſſe podagram crederem? non facile: deſunt enim argumenta ſufficientia, quae naturam indiuiduam materiae podagricae demonſtrarent, ſed viciſſim variae cauſſae podagram producentes, diuerſiſſimaque natura ſua auxilia, quibus hinc inde podagricum ſanatum legimus, naturam variam podagrae et podagrae euincunt, vt adfirmare audeam, inſanabilitatem podagrae exinde potiſſimum pendere, quod medici ſpecifico credito morbo ſpecificam ſemper quaeſiuerint medellam, ſicque naturae tramitem deſeruerint.

Seneſcente

Seneſcente autumno nonnil copioſiores acutae eaeque contumaciſſimae fuerunt, quarum hiſtoriam enarrabo ſequentem.

Suſcepi in lectos practicos 2da Decembris aurigam 46 annorum, temperamenti ſanguinei, habitus taurini et vitae, vti hoc hominum genus ſolet, inordinatiſſimae ac vinoſae, qui ſemper antea ſanus fuerat, ſed nunc iam a quatuordecim diebus proſtrato adpetitu, nauſea, dolore capitis et ventriculi, oris amarore, ardore circa pectoralia, et caloris nocturni tanta acerbitate, vt totis noctibus nil dormiret, et continuo biberet, afficiebatur: his ſtantibus adhibuit nil, laboribus ſuis vacauit, et diligenter cereuiſiam ſuam hauſit. Secunda Decembris illum in noſocomio inuenio cum pulſu valde celeri, ac adeo contracto, vt difficulter inueniretur, reſpiratione denſiſſima, anxietate maxima; tuſſi cum ſputis tenuibus ſpumoſis, ſiti magna, reliquisque ſymptomatibus circa primas vias iisdem vti initio morbi, cum lingua alba humida. Venam ſeco ad vncias xij. vnde leuamen circa pectoralia nonnullum etiam ſecutum fuit, ſanguis autem omni nota quam naturaliſſimus; dabatur praeterea miſt. ſal. mitis et decoct. antiphlog.

3tia Decemb. noctem ob calores moleſtiſſimos iterum inſomnem transegit, ſolum ſub diluculo nonnil dormiuit, aluus nulla, vrina parciſſima praerubra, pulſus aeque contractus ac celer, vti heri, reſpiratio aliquantulum tamen liberior, ventriculi aderat ardor, et ad adta-

ctum

ctum dolor, lingua alba viſcida cum amarore oris, ſputa pituitoſa: denuo venam ſecui ad vnc. x., et dein emeticum ordinaui. Sanguis denuo naturalis fuit, et ſexies vomuit amara, viridia.

4ta Decemb. noctem longe melius transegit exacerbatione nocturna longe imminuta, et dolore ventriculi omni euaneſcente, ſed mane augebatur dolor capitis cum aurium ſuſurru, aluum cum exigua quantitate vrinae bis depoſuit valde parcam ac tenuem, pulſus inueniebatur talis vti heri, ſitis autem maior, addebatur miſt. ſal. miti cremoris tart. dra. ʒß. et dabatur decoct. antiphlog.

5ta Decemb. aluum noctu depoſuit ſemel tenuem parcam, vrinam autem parciſſimam praerubram, exacerbatio nocturna valida iterum ſine ſudore, obpreſſio pectoris imminuta tamen fuit, et dolores capitis ceſſarunt, reliqua vti prius.

6ta Decemb. aluum depoſuit heri veſperi nouies cum vrina parciſſima, nox inſomnis, pulſus autem hodie mane et tardior et eleuatior obſeruabatur, reliqua eadem.

7ma Dec. nox inſomnis, aluus bis depoſita, pulſus iterum celerior, fortior tamen, oculi lippitudinoſi, caetera eadem.

8ua tota nocte tuſſiuit vehementer, ſputis parcis pituitoſis eiectis, vrina plane nulla, aluus parca, pulſus contractior iterum quam heri, ſitis ingens.

9na Decemb. exacerbatio nocturna maxima fuit et mane anxius, moroſus, omnia nauſeans cum amaritie oris et linguae flauedine: dabatur ergo emeticum, a quo quinquies vomuit amara et viſcida, aluumque ter depoſuit cum parca vrina.

10. Dec. exacerbatio nocturna ſoeda iterum fuit, indeque nox inſomnis, hodie pulſus nonnil eleuatiores ſed aeque celeres, ac reſpiratio aeque anheloſa, oculi lippitudinoſi, noctu conglutinantes, vrina parciſſima rubra cruda, dabatur miſt. cum gummi ammon. et oxymelle ſquillitico.

11ma Decembr. ob frequentiſſimam alui deiectionem noctu nil dormiit, hodie aucta inveniebatur obpreſſio pectoris, indeque reſpiratio anhelosior cum tuſſi, ac parcis ſputis viſcidis, caetera eadem; ſed negligentiſſime medicamenta ſumit, parumque bibit.

12ma Decemb. diarrhaea illa ceſſauit iterum, vigiliae nocturnae continuarunt, pulſus valde obſcurus ac praeceler, reſpiratio autem ſublimis ac frequens, vrina nonnil copioſior, aluus terna tenuis flaua, reliqua eadem: veſicantia bina ſuris adplicabantur.

13tia Decemb. omnia eadem, decubitus autem ſupinus inordinatim disiectis membris.

14ta omnium ſymptomaton incrementum, praeſertim autem reſpiratio peſſima, noctu hora 11ma placide exſpirauit.

In anatome deprehendebatur pulmo dexter aliquantum inflammatus, diſciſſusque co-

 pioſiſſimam

pioſiſſimam aquam ſpumeſcentem fundebat; pulmones adcreti ambo, fortius ſiniſter. In cauo thoracis vtroque libra circiter ſeri flauentiſſimi fuit, et inter pulmonem dextrum, diaphragmatisque eam partem gelatina copioſa tremula pellucida inueniebatur. Cor ingens ſanguinem parum grumoſum continuit. Splen naturali durior ac rubicundior fuerat, ſic etiam hepar durius ſed non inflammatum. Sed circa lienem ſimilis iterum inueniebatur gelatina, vti in thorace. Veſicula fellea viſcida bile ſcatebat. Renes erant ſaniſſimi: nec ventriculus nec inteſtina inflammata. Veſica contracta, columnisque robuſtiſſimis muſculoſis gaudens, vt propterea in theatrum anatomicum reciperetur.

En veram febrim ardentem ex inflammatoria et bilioſa compoſitam, et metaſtaſi tali ſeroſo biliosa, qualis his febribus frequens eſt finientem. Non tamen negauerim inordinatam bibonis huius vitam pulmonum diatheſin hanc hydropicam, ſi non produxiſſe, adiuuiſſe ſaltem quam plurimum, pro certo tamen non conſtat, iam ante hunc morbum ſymptomata hydrothoracis adfuiſſe, cum hoc hominum genus grauiora etiam corporis mala nec aeſtimet nec aduertat fere. Mirum tamen eſt hominem per morbum plerumque multa bibentem, vrinas ſemper habuiſſe parciſſimas, aluum parcam, ſudores nullos, et tamen vix libram vnam alteramue effuſi ſeri in vniuerſo corpore inuentam fuiſſe, ſed mirandum adhuc magis, ſaniſſimos inuentos fuiſſe renes, dum tamen tam

male

male officio ſuo functi fuerant per totum morbi tempus.

Frequentes tunc temporis habuimus dyſpnaeas cum ſignis fere omnibus perfecti hydrothoracis, cum pulſu duro contracto ac celeri, habituque corporis toroſo ac bene colorato, idque inter iuuenes quam maxime et laborioſos, praxatores, molitores; omnibus his venam ſuſpenſa manu ſemel aut bis ſecui, ac quandoque ſanguinem phlogiſtico pituitoſum extraxi, dein miſturam noſtram ſalinam miem et decoctum reſoluens, quandoque etiam decoct. flor. arnicae cum ſale ammon. exhibui, ac omnes feliciter ſanaui, vni hirudines ad haemorrhoides cum ſaluberrimo euentu adplicari iuſſi.

Dudum iam eſt, quod hypochondriorum in pectus influxum cognouerim, et obſeruauerim, quantae enim nonnunquam anxietates, palpitationes cordis, tuſſes, dolores, dyſpnaeae ac vera aſthmata oriuntur ex ſolo vitio partium ſub hypochondriis ſitarum? quin omnis practicorum vere talium viderit innumeros etiam morbos capitis ex hypochondriis originem ſuam ducentis, vt mirandum certo ſit, quam ignota haec ſint pluribus noſtrorum practicorum, vtpote qui in omni tuſſi, in omni ſputo ſanguinis, in omni dyſpnaea ſoli pectori medentur, et ad fontem omnium horum malorum non adſcendunt. Recentiſſimum talem caſum tracto, vbi 45 annorum ſedentarius, a ſeni anno multo moerore adfectus, quique ante annos plures continuo haemorrhoides fluentes

habuit, ad vltimum quadriennium usque; ai anno iam dyſpnaea adficitur, ac tuſſi violenta ſicca, cum deleto adpetitu, et dolore hypochondrii praeſertim dextri laborat, conſului practicorum noſtrorum vnum ex famoſiſſimi ab eoque recipit remedia pectoralia, decoct dein demulcentia, pillulas dein balſamicas, vltimo aquas ſelteranas cum lacte potandas, ſe ameliorationis loco peiorantur omnia eousque vt noctu a tuſſi impetuoſiſſima omnis excuteretur ſomnus, de die ſub motu minimo anheloſiſſimus greſſum ſiſtere cogeretur, emaciaretu ſummopere, febricitaret intenſe, hocque i ſtatu apud me auxilium quaereret. Omni praedicta audiens inquiro in *hypochondria*, hepatisque regionem et duram et dolentem inue nio, pulſum praecelerem contractum ac durum, oculos flauentes, linguam albam, ac adpetitum deletum; *his inuentis* ſanguiſugas haemorrhoidibus adplicari iubeo, ac decoctum e rad. graminis et taraxaci et ex tamarindis cum leni ſtimulo ſalino praeſcribo. Cum vero poſt primas ſex hirudines leuamen perſenſerit, quarta die denuo eas repeti curaui, ſicque hominem poſt octiduum per ſcalas meas libere ac veget adſcendentem, aduentumque ſuum riſu profuſo denunciantem vidi et audiui, indeque ſpe adfulget maxima, miſerrimum hunc et pro phtyſico conſummato habitum hominem breui perfecte reſtituendum fore.

Sed non apud omnes ſtaſin ſanguinis i hypochondriis circulantis eſſentiam morbi con

ſtituiſſe

ſtituiſſe demonſtrat, quod recte iuuenes maxime et laborioſiſſimi hoc malo correpti fuerint, ſedentarii econtra minus, indeque in illis hoc mali ſubeſſe ſuſpicabar, quod clariſſimus et iam a ſtudiis noſtris ſemper amiciſſimus mihi Stoll tam egregie obſeruauit, et depinxit, hydropem nempe inflammatorium. Hac iam occaſione ſicco pede nouum illum ab Anglis inuentum morbum, anginam pectoris praeterire nequeo. Gloria certo exigua eſt nouum inuenire morbi nomen, praeſertim nomen tam abſurdum, vti angina pectoris; morbus enim ipſe nec nouus eſt, nec authoribus antiquis ignotus, ſed nomine dyſpnaeae, aſthmatis, hydrothoracis, hydrocardii, hypochondriaſeos &c. &c. dudum ab innumeris aliis tam obſeruatoribus, quam dogmaticis deſcriptus ample eſt, et ſectiones hodiernae factae demonſtrant, anginam pectoris nullum per ſe eſſe morbum, ſed ſymptoma iam hydrothoracis, iam hydrocardii, iam vitii cordis et arteriarum, iam vitii hepatis, iam coſtarum, iam alterius part., vt omnes hac de re ſcribentes aliam naturam huius morbi adſignent. Nuperrime clarus Elsner arthritidem pectoralia adficientem pro natura huius morbi binis in caſibus exhibuit; dabo et nunc caſum, ex quo clariſſime pateat, anginam pectoris nomen nouum quidem, ſed morbum nouum non eſſe.

Vir 40 annorum perdoctus, vitae ſedentariae addictus, officioque paedagogi taedioſo occupatus, pinguis ac pallidus corripitur aeſta-

te

te anni 1776 omnibus ſymptomatibus angi nae pectoris dictae, cum difficultate reſpirii ad motum, cum obpreſſione ſtringente pectoris ſi niſtri, cum dolore ad brachium vsque ten dente, ſed ſine omni tuſſi, et adpetitu et ſomno bono; vtebatur V. S. purgantibus ſine leua mine, adplicabantur veſicantia, vtebatur decocto lignorum, et aliis ſudoriferis incaſſum, adhi bebantur roborantia et aquae minerales ſine ef fectu, quin malum per autumnum increſcebat adeo vt a leui animi adfectu, a leui motu corporis haec ſuffocatiua reſpirii difficultas ad animi deli quium vsque increſceret; his ſub circumſtan tiis ego vrinam ſub paroxysmo pallidam, pul ſuum a leuiſſimo animi adfectu mutabilitatem ſyſtema neruoſum debilitatum, ac inefficaciam tot remediorum conſiderans, malum pro ner uoſo adfectu declaro, praeſcriboque pillulas ex moſcho, ambra, zibetho, aſa foetida, et camphora, mirabiliterque aegrum inde leuatum conſpicio, ſed cum de ſumptuoſis nimium pil lulis querellae orirentur, rad. Valerianam ſyl ueſtrem cum camphora ex' ibeo, ac inde in tra triduum id perditum iterum videbam, quod antea per pillularum vſum intra quatuordecim dies euictum fuerat, cogebamur inde ad pillu las noſtras redire, a quibus intra menſem re conualeſcebat perfecte adeo, vt etiam procel loſa hyeme obambularet libere, omnibusque functionibus integris gauderet.

Non video igitur, quantum dyſpnaea aliqua periodica, aut aſthma ab hac angina pectoris differant, cum ſimilia habeant ſymptomata, ac eandem iam neruoſam, iam hydropicam, iam arthriticam aliam naturam, indeque medella in angina pectoris diuerſiſſima, prognoſis ſumme varia aeque ſit, vti in ſimplici dyſpnaea quacunque.

CAPVT V.

Conſtitutio hyemis anni 1781.

DECEMBER 1781.

Menſis hic exorſus nebulis, pruinaque. 5ta ingruente caelum potiſſimum obductum, frigus intenſius.

Die 10ma niues decidebant alternantes ad finem menſis vsque cum pluuiis, caelo vtcunque obducto, pacatoque, per vniuerſum menſem rarius ſpirante aquilone.

Die 3tia Decembris mane Mercurius altiſſimus . . . . 27 poll. 10 lin. 5 cent.

Die 30ma veſperi infimus

. . . 27 poll. 2 lin. 30 cent.

medius . 27 poll. 6 lin. 25 cent.

Die 13. veſp. maximus calor + 4°. 0

Die 19na mane minimus — 10°. 5

medius . — 3°. 25.

IANVARIVS

IANVARIVS 1781.

Sub anni illius principium flatus zephyri habebantur, glacies ſolui, niuibus tecta terra nunc conſpici nuda caepit ſubito.

Die 6ta vehementes aquilonis flatus nubes adportabant niuibus plenas, quae continuo aucto denuo frigore tegebant agros, vrbemque. Inde obductum caelum erat continuo, aërque pacatus, donec 14. 15. aucto multum mane frigore nebulae caderent denſiſſimae, quas excepit caelum denuo obductum.

19na ſub calidis flatibus auſtrinis ſubita glaciei ſolutio notabatur, vt campi plateaeque omnes aqua tectae conſpicerentur, ſuccedentibus denuo niuibus omnia obuelantibus, ac aquilone ſpirante.

Reliqui menſis dies pluuiis, niuibusque et nebulis paucis vertebant; glacies, et humiditas ſubito ſuccedens alternabant continuo, donec ſerena aura in fine menſis haberetur, pacato vt plurimum aëre.

Die 12ma maxima mane Mercurii altitudo . . . . 27 poll. 10 lin. 5 cent.

Die 25ta veſperi minima

. . . 26 poll. 10 lin. 6 cent.

media . 27 poll. 4 lin. 50 cent.

Die 2da veſperi maximus calor ingruebat

. . . . + 4° . 0

Die 21ma mane minimus — 10° . 8

medius . . . . — 3 . 43.

FEBRVARIVS.

FEBRVARIVS.

Menſis hic exorſus caelo obducto, calore maiore, hinc et glaciei ſolutione.

Die 4ta ſubitus Mercurii adſcenſus, deſcenſusque; pluuiae inde copioſae cum niuibus vertentes, auſtro flante, caeloque obducto patiſſimum.

Die 25ta ſub glaciei ſolutione, et frigoris remiſſione, niues cum pluuiis alternantes, ſuccedente in fine diei imbre valido.

Die 3tia veſperi ſuprema Mercurii ſtatio fuit . . . . . 27 poll. 8 lin. 8 cent.
Die 28ua minima eiusdem altitudo
. . . . 26 poll. 8 lin. 0 cent.
media . 27 poll. 2 lin. 4 cent.
Die 13tia veſperi calor maximus
. . . . + 9° . 0
Die 7ma mane minimus — 6 . 0
medius. . . . . + 1 . 90.

Mutabiliſſima hac hyeme morborum acutorum parcitas ſumma fuit, et qui tunc fuere de pituitoſa fuerunt familia, in quibus plerumque vnica ſuffecerat V. S., raris in caſibus egebamus ſecunda, tertia nunquam, decurrebantque ordine adeo naturali ac facili, vt operae pretium non ſit caſus aliquos recenſere.

Credent forſan quidam hoc doctrinae communi de epidemiis minime conſentire, vtpote quae aſſerat frigus diuturnum ac ſiccum inflam-

inflammatorios producere morbos, non pituitoſos, ſed reſpectiua haec omnia eſſe iam Hyppocrates obſervavit, vnde et ille apud ſuos Graecos notauit, hyeme pituitam regnare.

Verum quidem eſt, hyemem in Graecia communiter gelidam ac ſiccam non eſſe, indeque hoc dictum Hyppocratis de hyeme humida ac gelida, non de noſtra hac hyeme intelligendum eſſe, ſed quod apud Graecorum temperamentum ſiccum ac calidum hyems humida ac tepida, id apud noſtra temperamenta humida et frigida hyems etiam glacialis ac ſicciſſima producere debet, motum nempe pituitae hinc inde in corpore ſtagnantis, ſeu febres pituitoſas, quamuis rarius, quam ſi haec hyems humida ſimul fuiſſet, vnde etiam hoc anno rari adeo fuerint morbi acuti.

Habuimus econtra morbos chronicos ab autumno adhuc reliquos plures, quartanas nempe, anaſarcas, dyſpnaeas, phtyſes &c. &c. quorum memorabiles plures hiſtorias vltimo capite recenſebo.

Icterici etiam plures nobis obueniebant, non febricitantes non dolentes, ſed foedo colore ſubfuſi, omnes cito et iucunde curabantur decocto flor. arnicae cum ſale ammon. vtut communi ictericorum medellae refractarii valde eſſent, praeſertim a purgantibus non emendarentur non ſolum, quin peiorarentur inſigniter.

Quin

Quin anaſarcae ex quartana diuturna oriundae, eidem decocto flor. arnicae cum ſale ammoniaco facile obediebant.

In vno hydropicorum mens fuit tentandi, num nouum illud Clariſſ. Collinii antihydropicum efficaciam ſuam, vti ipſe autor adfirmat, in parte ſua ſalina, num potius in illo volatili viroſo et odore opio ſimillimo principio contineret, ipſique exhibui conſeruam herbae recentis, ſed ſine effectu, dum econtra extractum eiusdem plantae cito efficaciam ſuam proderet.

Caeterum et phtyſicum vnum, alterum ſcirrho ventriculi adfectum, tertium diabethe laborantem hoc tempore in lectis habuimus, tum vt et hos morbos ſtudioſis commonſtrarem, tum quod ſufficiens numerus morborum acutorum deeſſet. Hiſtoriae horum cum aliis adhuc rarioribus caſibus vltimo capite inuenientur.

CAPVT VI.

Conſtitutio veris anni 1781.

MARTIVS.

Sub flatibus aquilonis et gelu notabili niuibusque cadentibus exorſus eſt.

Die 4ta pluuiis continuabat, flatibus auſtri et zephyri calidioribus.

Die

Die 13tia aura vt plurimum ſerena, nebulis tamen mane redeuntibus denſis, frigore denuo multum aucto, aëreque pacato.

A die 20ma huius menſis nubes copioſae denſae ſolem obuelabant; Boreas ſpirabat vehemens, frigore ad menſis finem multum aucto; aura demum ſerena.

Die 13tia veſperi ſupremus fuit Mercurius
. . . . 27 poll. 9 lin. 9 cent.
Die 12ma mane infimus
. . . . 27 poll. 1 lin. 0 cent.
medius . . 27 poll. 5 lin. 45 cent.
Die 19na veſperi calor maximus
. . . . + 13° . 5
Die 30ma mane minimus — 3 . 2
medius . . . . + 5° . 15.

APRILIS.

A 1ma ad 3tiam menſis diem frigus, quo finiebatur Martius, continuabat ſpirante Euro, auraque ſerena; inde coelum obductum, auſterque ſpirans.

Die 7ma pluuia imminebat alternans cum nebula ſequenti die ingruente, et aquilone ſpirante; inde pluuiae continuabant.

Reliqui menſis dies abſoluebantur aura potiſſimum ſerena, Borea vertente cum Euro, aëre primum calido dein frigidiore.

Die 21ma ſupremus veſperi Mercurius
. . . . 27 poll. 7 lin. 8 cent.

Die

Die 13tia infimus 27 poll. 1 lin. 0 cent.
medius 27 poll. 4 lin. 4 cent.
Die 30ma veſperi calor maximus
. . . . + 20° . 0
Die 2da mane minimus . — 2° . 0
medius . + 9° . 0.

M A I V S.

Aura ſerena finiens Aprilem, continuat triduo, Eurusque ſpirans.

Die 4ta coelum habebatur obductum, pluuiis ſuccedentibus et flatibus Zephyri.

Die 6ta frigus notabile imminebat, qua glacies in agris, in vrbe pruina conſpiciebatur, ſub Euri flatibus ac coelo obducto.

Die 11ma fulgura tonitruaque omni ex parte aduenientia, ac vento notabili per triduum redeuntia; inde nebulae denſae copioſae mane habebantur per biduum; ab eo nubes ſparſae ſaepe, crebrius denſiores, calor magnus, flans Boreas, donec vltimis menſis diebus rediret aura ſerena, mentem hilarem reddens, calore multum intenſo.

Die 25ta mane Barometri ſtatio maxima
. . . 27 poll 8 lin. 0 cent.
Die 9na mane minima
. . . 27 poll. 5 lin. 0 cent.
media . 27 poll. 6 lin. 75 cent.
Die 17. calor maximus veſp. + 23° . 8
9na mane minimus . . + 1° . 0
medius . . + 12° . 4.

Febres

Febres inflammatoriae cum pituitoſis ac bilioſis, ſicciſſima ſub hac aura caput extollere iam menſe Martio incipiebant, Aprili et Maio dominabantur, Iunio euaneſcebant; binas autem partes prae reliquis maxime adgrediebatur morbus, caput nempe et pectus, vt inde phrenitides et peripneumonias ſat frequentes, rariores tamen pleuritides habuerimus.

Mirandum certo foret calores ſicciſſimos tantas produxiſſe inflammationes, niſi is naturalis pituitoſi ſtatus ſub his conditionibus eſſet transitus, vti iam optime notauit Hyppocrates, hyeme pituita vere autem ſanguis dominatur.

Suſcepi autem menſe Martio exeunte virum triginta annorum capilitiarium, qui mane facie hilariſſima, verbis facetiſſimis ac geſtis ſumme ridiculis, nam choreae S. Viti adinſtar omnes muſculi agitabantur, ſequentia nobis narrauit. Seſe ante biennium conuulſionibus epilepticis aeſtate media laboraſſe, ac a ſtudioſo aliquo medicinae, quem etiam illico inter mecum adſtantes auditores diſtinxerat, vnico emetico tunc ſanatum fuiſſe, ſanumque etiam vixiſſe vsque ad vltimum triduum, vbi horroribus caloribusque alternis vexari, capite dolere, toto corpore tremere, omnia recuſare, multumque ſitire incipiebat, de nocte ſe nil ſcire, cum domi non fuerit, ſed Venetiis et Romae, heri ſe eadem paſſum fuiſſe, ſed elapſa nocte ſe denuo iter ſuſcepiſſe, hodie mane autem bis vomuiſſe, eaque amara viridia, nunc autem

ſeſe egregie valere. Pulſus praeceler fortis et durus, oculi ſplendidiſſimi, facies et lingua nitidiſſimae ac naturales, aluus virideſcens tenuis, cutis ſudore plurimo madida fuerat, ſed alacritas ſumma tantaque facetiarum, veritatum, ac phantasmaton loquaciſſima confuſio, vt et ipſa Stoa ridere debuiſſet. Venam ſecari iubeo, ac miſt. noſtram ſal. mitem et decoctum antiphlogiſt. praeſcribo. Sanguis V. nis naturalis fuit, ad quamuis autem doſin miſt. ſalinae vomuit aeque millioſa. Nox adeo delira, vt plurimum clamauerit, per noſocomium cucurerit, omnia ſusque deque verterit, ac ligari debuerit; altero mane quietum illum iterum inuenio, trementem tamen ac hilarem, mihique ligatas ſuas manus monſtrans debachabatur contra ſartorem, qui marſupia veſtis ſuae nouae anguſta adeo fecerit, vt manus retrahere neſciret, ſeque hac nocte Viennae fuiſſe adfirmauit. Pulſus idem, reſpiratio rara, calor ſummus, facies tamen et lingua naturalis, aluus eadem vt heri, denuo venam reſecari curo, et cum quietior inde factus fuerit, emeticum exhibeo, a quo facile et cito vomuit ter plurima viridia, quater etiam deiecit. Noctu eadem denuo comoedia agebatur.

Die 5ta morbi ſponte mane vomuit, plurima deiecit, placidusque inde ac pacatus adeo reddebatur, vt a ſexta veſpertina in alteram ſextam matutinam vsque placidiſſime dormierit, ſicque iudicatus ſeptima morbi die domum redierit.

Sub

Sub eodem iam tempore ſimilis nobis ſuſcipitur curandus aeger, qui autem minus facetus ac loquax de amaſia ſua continuo obgarriret, febricitauit ſimul inſigniter, contuſionemque habuit occipitis, quia per cellae gradus deciderit. Lingua foeda, os paſtoſum, manus trementes, ſitis ac ſudor nullus. Venam ſecari, clysma iniici, contuſionem adcurate viſitari curo, et cum ſola integumenta externa laeſa inuenirentur, fomenta frigida ex aqua et aceto capiti adplicari iubeo; nox quieta fuit; altero autem mane eadem fuit amentia et febris, nullus autem vndique dolor, purgans praeſcribo, ac venam ſecari iubeo.

Multa mala ominabar, ne a contuſione, cerebri vitium contractum paullopoſt grauiora inferret mala, ſed interea vnus ſuorum amicorum prouenit, nobisque narrat, hominem hunc iam a biennio ſemimaniacum, ante triduum ebrium per ſcalas cecidiſſe, ſeque illum minime ſtultiorem inuenire, quam antea fuerit, vnde tantum febrim componendi, contuſionemque ſanandi nobis intentio fuit, ſicque etiam quoad mentem idem, quoad corpus autem ſanus poſt octiduum exiuit.

Paullopoſt ad iuuenis Nouitii lectum aduenio, illumque facie rubentiſſimum, oculisque ſplendidiſſimis ac fere flammeis inuenio, audioque illum a triduo iam ſummopere capite dolere, febricitare, ac omnia nauſeare, noctu nil dormire, artubusque omnibus, pectore praeſertim ſumme dolere. Pulſum obſeruo

prae-

praecelerem paruum contractum, reſpirationem anheloſam, ardorem membrorum omnium ac linguam foediſſimam. V. S. illico celebro, clysma, et miſt. ſal. mitem et decoct. antiphlog. ordino, et veſperae emeticum exhibeo, ſicque intra triduum aegrum iamiam phreniticum ſaluaui a morbo ancipite.

Talem alterum, tibialium fabrum iam delirum, ac omnibus artubus non trementem, ſed conuulſum potius, eadem methodo tractaui et ſanaui.

Sed non aeque feliciter ceſſit externa facie ſimilis caſus, ſartor enim 50 circiter annorum iam triduo in noſocomio eſt, quotidie noctu delirus ac furibundus, de die autem vtcunque quietus ſibique conſtans, ea autem die, qua illum, vt pro meis lectis aegrum quaeram, videram, demens ita fuit, vt nil plane de praeſentibus aut praeteritis ex illo expiſcari potuerimus. Inueniebatur autem facies flaua, genis rubentibus, lingua ſicca, aſpera, praeflaua, pulſus celer fortis, durus, calor magnus et tuſſicula ſicca frequens.

Sanguis V. S. heri ab ordinario noſocomii ordinatae ſine cruſta quidem, ſed valde tenax fuit; repeti ergo curo V. S. ad vnc. viij. et exſpectaturus donec clariorem formare poſſem diagnoſin, miſt. ſal. mitem et decoct. antiphlogiſt. praeſcribo. Veſperae pulſuum durities remiſerat, caetera eadem. Altero mane audiuimus illum tota nocte deliraſſe non tamen furioſe, et ſibi magis praeſentem inuenimus,

vt ſat apte ad interrogata reſponderet, dixitque: tunc ſe nullibi dolere, ſed valde ſitire, omniaque amara ſibi adparere, ſed tinnitum aurium, quem antea habuerat, ſe iam non percipere amplius: dum interrogaretur, quomodo morbus inceperit, quamdiu iam aegrotaret, contra vxorem debachari, nihilque ordinati proferre incepit.

Inueniebatur lingua humidior, ſed ſpurca aeque, facies minus rubens ſed magis flauens, pulſus idem, reſpiratio ſuſpirioſa, aluus bina tenuis viridis; veſperae delirare furioſe iterum incepit, febrisque exacerbatio inſignis accedebat. Nox inſomnis et delira.

Mane illum delirum adhucdum inuenimus, indeque hypecacuanhae ſcrup. iv. et crem. tart. emet. gr. ij. in quatuor doſibus partitim exhiberi curaui.

Vomuit ab vniuerſa quantitate ſemel tantum perpauca viſcida, et bis parca deiecit viridia. Interea ab vxore audimus, illum antequam in noſocomium venerat, iam duodecim diebus aegrotaſſe, illumque ſemper anxium et melancholicum a multo tempore fuiſſe, hunc autem incepiſſe morbum horrore et calore alternis, et iam prima nocte aegrum deliraſſe. de die illum ſedentario ſuo muneri iterum vacaſſe, nullumque adhibuiſſe remedium praeter vnicam V. S.

Circa meridiem illum inuenio aeque delirum, multa tuſſitantem, pulſum celerem ac fortem, vrinam praerubram, ac craſſam, repeti

peti curo emeticum, ac gr. ix. crem. tartar. emet. exhibeo, ſed nec hilum inde vomuit, nec conatus ad vomitum habuit, nec deiecit, veſperae delirium idem, pulſusque celeriores ac debiliores, ſicque ea nocte conuulſus periit.

Cadauer altera veſpera ſectum exhibuit, et duram et magis adhuc piam matrem omnibus in vaſis copioſo ſanguine turgentem, ſero multo viſcido hincinde inter piam et arachnoideam collecto, ſinus falciformes vacui inueniebantur, glandulae autem Bachonianae et copioſiſſimae et albae et durae et longe maiores adparebant. Ipſa ſubſtantia cerebri pluribus punctis rubris interſtinguebatur, ventriculique anteriores ambo lympha alba clara turgidiſſimi erant, ac plexus choroidei naturales. Cerebellum longe minus inflammatum, quam cerebrum, ac caeterum ſanum erat.

In abdomine colon flatibus diſtentiſſimum brachii toroſi ac obeſi amplitudinem habuit, arcusque ille transuerſus infra ventriculum decurrens, hoc in ſubiecto arcu maximo vsque infra vmbilicum deſcendebat, ſicque cum binis flexuris hepatica et lienali litteram M exacte retulit. Sed pars ea inteſtini colon, quae a flexura lienali ad longitudinem quatuor pollicum verſus flexuram ſigmoideam deſcendit, contractiſſima adeo fuit, vt ipſis inteſtinis tenuibus longe anguſtior fuerit; pars flexurae ſigmoideae dilatatiſſima, vltima eius portio et ipſum rectum anguſtiſſima iterum fuere. Inteſtina tenuia naturalia adparuere, ſed ventriculus rubebat, et

diſciſſus continuit bilem copioſam viridem, ac adeo viſcidam, vt ventriculi parietibus firmiſſime adhaereret, et intra digitos ſumta eos tenaciter conglutinaret. Veſicula fellea ingen copioſiſſima bile vere crocea turgebat, vicinasque partes omnes flauo rubro hoc colore alte infecerat, quin vniuerſus panniculus adipoſus abdominis praeternaturaliter flauuit; hepar ſanum, ſed lien in facie ſua poſteriore mollis adeo, v inter digittos placenta ſanguinis putreſcentis ad inſtar diffluеret. Pectus apertum non fuit.

Certe tarda nimis hic adhibita fuit medella, quam vt felicior inde expectari potuiſſet euentus, ſed doctrina tamen ferax hic eſt caſus, docemur inde enim quam clariſſime nexum illum, qui cerebrum inter et bilem ſi corruptiſſima enim hic bilis, grauiterque inflammatum inueniebatur cerebrum, quod autem bilis corrupta cerebrum inflammauerit, non inflammatum cerebrum bilem corruperit, docuit initium morbi manifeſte bilioſi, docet nullum leuamen a tribus V. S. ſecutum, docet dominans tunc temporis haec eadem epidemia, hominis inertis vita ſedentaria inflammationibus minus quam corruptionibus humorum gaſtricorum fauens. Caeterum in pluribus iam cadaueribus inueni bilem veſicae tincturae cro quam ſimillimam, quae eadem bilis in ventriculo et inteſtinis viridiſſima adpareret, dum tamen aqua diluta haec bilis cyſtica pulcerrime flaueret; vnde haec coloris mutatio? inaequalem illam diſtenſionem inteſtini coli effectu

fuiſſe,

uiſſe vitae ſedentariae facile intelligimus, hanc iiſtenſionem cauſſare debuiſſe praeternaturalem llam vicinarum coli partium contractionem ex ege phyſica clarum eſt; ab hac autem inteſtiii huius difformitate flatuum, aluique irreguaritatem indeque ſpasmos, anxietatesque hyochondriacas oriri debuiſſe, pro aeque certo iabeo.

Sed vnde illa mira lienis molities? an uoque vitae ſedentariae effectus? degenerant erte partes variae ab eadem ſaepe cauſſa nirifice, vt propterea, quod a vita ſedentaia alias lien obſtruatur, ac obſtructus durecat, impoſſibile non ſit, vt non in alio ſubieto idem viſcus a vita ſedentaria putreſcat.

Quam ominoſum illud ſit, phreniticos a onueniente etiam emetici doſi non vomere, im aliquot caſus ſuperius docuerunt, docet aduc hic idem.

Bilem autem duplici vitio nempe acrimoia et viſciditate laborare poſſe, in hoc ſubieto clare vidimus, et cum haec viſciditas in entriculo non ſolum, ſed et in ipſa veſicula ellea adſit, vſus et neceſſitas remediorum ſolentium et praeparantium, quae emeſi praeaittuntur, clariſſime patet, indeque praeprimis lae deriuandae quaerelae erunt, quod emetica ffectu ſalutari deſtituantur, quia plurimi praticorum ad hanc praemittendam humoris uacuandi coctionem non adtendunt.

Demum et id non praetermittendum; pronoſticon illud Hyppocratis de phrenitide, quod

quod tuſſis in phrenitide oriunda ſolutionem morbi deſignet, certe de phrenitide inflammatoria non autem de hac ſaburrali intelligendum eſſe, cuius enim ſaburrae fidiſſimus fere comes talis tuſſis ſit, nullum ergo nexum cum phrenitide habens.

Collectionem illam aquoſam in ventriculis cerebri, effectum fuiſſe adruentium nimio impetu ad cerebrum humorum, ſublatique inde in vaſis cerebralibus liberi circuli pro euicto habeo, ſed nullus ſpero emeticum exhibitum pro cauſſa huius collectionis adſignabit, etenim a bino emetico non vomuit niſi ſemel, eaque vice perparum, et nullum certe auxilium turbati a ſaburra primarum viarum circuli in cerebro aequilibrium efficacius reſtituere potuiſſet quam ipſum emeticum via breuiſſima ſaburram illam euacuans.

Quam miros autem effectus ſaepe morbus gaſtricus producat, ſequens caſus eleganter confirmat.

Venator 36 annorum 19 Maii in media venatione ſubito excaecatur, vt a ſociis eiulanti adcurrentibus domum duci debuerit, ſecatur illico vena, datur purgans, adplicant, neſcio quae, ad oculum, ſed incaſſum omnia, vt demum in noſocomium duceretur. Ibi adplicatur illico latum veſicans nuchae ſine omni effectu, tandem illum in noſocomio inuenio, examino omnia radicitus, et audio illum iam vltra ſeptimanam ante hoc infortunium valetudinarium fuiſſe, horruiſſe iam, iam caluiſſe

iterum

iterum, parum adpetiiſſe, ac amarorem percepiſſe oris, et hodiedum ſaporem oris ingratum perſtare, inuenio linguam albam cruſtoſam, pulſum parum febrilem, oculosque naturales adeo, vt nil deſiderares vlterius. Exhibeo miſt. ſalin. mitem, et decoct. antiphlog. per biduum, tertia die exhibeo emeticum, nil autem oculis adplico, et exinde eovsque mutatur malum illico, vt ſub plena luce omnia confuſe nihilque nec figuras rerum diſtincte videret, ſub tenebris autem et ipſos diſcerneret colores, ſub hac nyctalopia pupilla tamen nec in tenebris, nec in plena luce a naturali contractilitate deflectere videbatur, denuo miſt. ſal. et decoct. antiphlog. exhibeo, et tertia die emeticum, ſicque poſt tertium exhibitum emeticum perfecte reſtitutus diſceſſit, aliquot diebus roborantibus ſtomachicis vſus.

Multis noſtrorum practicorum ridiculum id adparebit, me amauroſin hanc a primis viis repetere, ſed en exemplum ſole clarius.

Viennae Illuſt. aliquis Comes iuuenis ſubito excaecatur, qui in vita ſua nil vitii antea in oculis habuerat, conquiruntur vndique medici, et inquirentes audiunt illum in prandio fungos comediſſe, ſeſeque etiam dolores ventriculi percipere, exhibent emeticum, et viſus cito adeo reſtituitur, quam cito perditus fuerat.

Apud plures morbus hic vernalis pectus impetierat, idque eadem fere ratione, qua anno elapſo, reliquorum omnium loco ſequens ſufficiat exemplum.

8ua Martii fabrum ferrarium ſuſcepi, qui iam 14 aegrotabat diebus, inceperat autem morbus horrore et calore per plures dies ſaepius alternantibus, tuſſi violenta cum multa obpreſſione pectoris, ac ſputis pituitoſis pellucidis ſanguine ſtriatis, haec per omne tempus continuabant, quotidie veſpertino tempore exacerbata. Dum noſocomium ingreſſus fuerat, vena ſecabatur ſine leuamine, quin aucto inde pondere thoracis.

9na Martii illum prima vice video, et inuenio pulſum celerem cum inaequalitate et mollitie linguam albo flauam, vires ſumme deiectas, ſputa ductilia, pellucida foetida, praeterea aluus erat rara et tarda, et obpreſſio pectoris ſumma, exhibeo miſt. ſal. mitem, et decoct. reſoluens, et clysma catarct.

10ma Martii conquaeritur de dolore lancinante adeo in fronte, vt inuoluntariae profluerent lacrymae, caetera eadem ſunt, clysma repeti curo, et praeſcribo miſt. ſal. acrem cum dr. ij. arcani duplicat.

12ma Martii aluus terna hac nocte fluxit, dolores capitis multum remiſerunt, ſed pulſuum celeritas et inaequalitas remanſerunt, et obpreſſio pectoris augebatur, ſputa tamen cocta magis, puriformia? indeque decoct. lichen. Island. cum oxymelle ſquillitico exhibui, ac 18. Martii ſanus abiuit.

Tali modo plures hoc tempore pectore laborarunt, aliqui acutius, plurimi autem primas ſeptimanas ſub nomine catarrhi malum ne-

negligentes tunc primo aduenerunt, dum iam plurima ſaburra ex primis in ſecundas vias abiuerat, ac malum veram fingeret phtyſin.

Obuenerunt nobis etiam hoc tempore plurimae herniae incarceratae, de quibus autem in vltimo capite aliquot recenſebo caſus.

CAPVT VII.

Conſtitutio aeſtatis anni 1781.

IVNIVS.

A prima ad 14tam iam coelum obductum, iam ſolum nubibus ſol erat obuelatus, iam pluuiae cadebant copioſae, denſae, primum Aquilone dein Auſtro ſpirante.

Dies 14ta menſis fulgure tonitruque inhorruit pluuiis denuo ſequentibus, ſpiranteque Euro.

Die 17ma imminebat tempeſtas magna, inde coelum ſerenum per biduum, aerque pacatus.

Reliquis menſis diebus coelum obuelatum nubibus, pluuiis non adeo frequentibus nec tempeſtatibus. Euro vertente cum Aquilone.

Die 30ma maxima Barometri altitudo
Veſperi . 27 poll. 8 lin. 0 cent.

Die

Die 7ma mane minima
. . . 27 poll. 1 lin. 8 cent.
media . 27 poll. 4 lin. 90 cent.
Die 24. calor maximus veſp. + 24° . 0
Die 4ta mane minimus + 12 . 0
medius . . . + 18 . 0.

IVLIVS.

Primis diebus tribus aura ſerena, aer pacatus, calor vrens animalia frugesque, vnde pluuiae non adeo copioſae, quas tempeſtates comitabantur ſemper.

Die 7ma menſis aura denuo ſerena pluuiis ſuccedentibus frequentibus.

Die 9na tempeſtas grauis cum grandine, imbre, fulgure frequente integra nocte durantibus, inde pluuiae per intervalla cadentes, ſpiransque continuo Boreas.

Die 13tia coelum continuo obductum, pacatum, ſuccedente denuo tempeſtate graui, et pluuiis per triduum durantibus.

Reliquis menſis diebus flatus Boreae habebantur, pluuiae cadentes multum terram inundabant, ſol obuelabatur continuo a nubibus denſis.

Die 1ma mane altitudo Mercurii ſumma
. . . 27 poll. 8 lin. 3 cent.
Die 27ma minima mane
. . . 27 poll. 3 lin. 4 cent.
media . 27 poll. 5 lin. 85 cent.

Die

Die 4. veſp. calor maximus + 29° : 2
Die 24ta mane minimus + 12°. 0
medius . . . . + 20°. 60.

AVGVSTVS.

Menſis ille exorſus aura ſerena, ſpiranteque Euro ac Auſtro, calore notabili, ſuccedentibus pluuiis grandini miſtis die menſis 3tia et 4ta coelo pacato; inde obuelatum nubibus conſpiciebatur.

Dies 8ua tonitru et fulgure inhorruit per triduum, cum pluuiis copioſis, nebulisque mane iterato redeuntibus et deciduis ſub auſtrinis flatibus calidis; inde nubes ſolem nobis eripuere per triduum vix, aliquando conſpicuum.

Die 16ta per quatriduum ſerena tempeſtas redibat pacato potiſſimum aëre; aliquando tamen ſpirante Auſtro. Aeſtus per menſis reliquum praeſocantes, coelo iam ſereno, iam obducto, auſtro flante continuo.

Die 4ta mane altitudo Barom. maxima
. . . 27 poll. 9 lin. 9 cent.
Die 19na veſperi minima
. . . 27 poll. 2 lin. 6 cent.
media . . 27 poll. 5 lin. 20 cent.
13. 19. die veſperi calor maximus
. . . . . . + 24° . 4
23tia veſperi minimus + 11° . 5
medius . . + 17° . 95.

Aeſtate

Aeſtate hac feruidiſſima ſicciſſimaque morbi huic tempori correſpondentes plurimi dominabantur, iam menſe Iunio cholerae bilioſae hinc inde adparuerunt, morbilli dein quam plurimi, ſed bonae ſat indolis; his autem exeunte Iulio ſucceſſerunt variolae peſſimae frequentesque, grauesque dyſſenteriae, non tameo adeo copioſae; febres praeterea acutae bilioſae longe lateque vagabantur, omnibus autem his morbis inflammatorii quid plus minus adſperſum erat. En horum omnium hiſtorias!

Menſe Iunio vocabar ad pileorum fabrum, virum 40 annorum ſtrigoſum atrabiliarium, qui nocte elapſa bene antea valens, poſt leuiorem iram vomuerat centies, deiecerat quadrageſies, eaque omnia viridia amariſſima; horruit dein nonnil, nuncque prae calore ardet, pulſus praeceler, contractus ſed praedurus ac omni preſſioni digitorum valide reſiſtens, lingua ſicciſſima pura, dolor regionis gaſtricae ardens, ſitis inexſtinguibilis, ſed vomitus praeterea, omnia epota reiiciens illico; venam ſeco, decoctumque altheae cum pulpa tamarindorum commiſtum largiſſime bibendum exhibeo. Sanguis V. S. phlogiſticus fuerat, pulſusque inde liberiores facti.

Altera die illum noctu non vomuiſſe, ſed continuo vomituriiſſe audio nonnil etiam deliraſſe, aluum ſexies viridem iterum deſcendiſſe video; caetera eadem fuerunt omnia, denuo vncias viij. ſanguinis phlogiſtici extraho, et aliquot horis poſt hypecacuanham exhibeo, indeque quin-

quinquies vomuit flaua viſcidiſſima amariſſimaque, terque deiecit ſimilia, cum egregio leuamine; decoctum altheae cum tamarindis repeti iubeo.

Tertia die illum noctu per vices dormiiſſe audio, quaterque deieciſſe flaueſcentia ſubpultacea, lingua humeſcit, dolores euaneſcunt, cutisque madeſcere incipit, ſicque continuato per biduum adhuc priore remedio et in fine data rhei tinctura aquoſa, conualuit intra octiduum perfecte.

Praeter cholericum hunc eodem fere tempore in domo laboratoria, quae nunc primo erecta fuit, et cui qua ordinarius proſpicio, tres alios cholera adfectos habueram, omnesque ſimili methodo breui reſtitui.

Sed cum recte menſe Iunio in collegiis practicis de morbillis diſſererem, doleremque, quod ſtudioſis nullum morbilloſum exhibere poſſim, in eadem domo laboratoria 42 infantes morbillis corripiebantur ad plurimam partem benignis adeo, vt ſex tantum illorum venam ſecare, binis emeticum exhibere debuerim, apud reliquos tranquillum tantum egerim ſpectatorem, ac omnes ſine vlla labe relicta ſanati fuerint, vnicus tantum diarrhaea illa poſthuma correptus, ſed rheo et cremore tart. breui etiam reſtitutus fuit.

Mirandum autem fuit, quod vtut eodem tempore, quo domus laboratoria morbillis tota obſita eſſet, quotidie ex eadem domo vna cum ſtudioſis pluribus in vicinum orphanotropium

pium aliis ibi morbis proſpecturus irem, quod nullus tamen orphanorum tunc temporis morbillis adficeretur, ſed menſe primo Octobris 30 illorum morbillis corriperentur iisque malignis adeo, quem benigni illi in domo laboratoria fuerant, ſed de his alio loco.

Stitit tamen ſe etiam tunc temporis in noſocomium morbilloſus, cuius en hiſtoriam:

Faber ferrarius 27 annorum 20ma Iunii corripiebatur horrore graui ſaepius cum calore alternante, tuſſique plurima dolorifica, qua tamen fere omni aeſtate diu laborare ſolebat, ita vt ſe ipſum phtyſicum crederet, altera die etiam capite doluit, nauſeauit, vomuit, tertia die omnia ſymptomata augebantur ita, vt a vigeſima quarta Iunii in noſocomium ſecederet, vbi illum ſuſcepimus.

Febricitauit intenſe pulſu duro vibrante, dolebat acute pectore, tuſſiebat laborioſe, ſed cum ſputis puriformibus, foetidis, ſanguine foedatis, ſitiebat plurimum, cibum autem nauſeabat omnem; oculi lacrymabantur, naribus nil moleſtiae percepit, nec quidquam adhuc morbillorum adparuit. Venam ſeco, ac miſt. ſal. mitem et decoct. antiphlog. praeſcribo.

25ta peiora omnia, praeſertim ſputa fere vniuerſa ſanguine tincta adparent, ac dolor pectoris plurimus eſt, ſanguis V. S. naturalis, aluus obſtipa, lingua foeda; clyſma iniici ac remedia repeti curo.

26ta morbilli adparent in trunco et brachiis in facie nulli, ſymptomata autem omnia

aucta,

aucta, praeſertim ſapor oris acerbo dulcis aegrum ſumme moleſtabat, emeticum exhibeo, indeque decies vomuit, quaterque deiecit, reliqua remedia repeto.

26ta noctu dormiuit per intervalla, quia tuſſis longe minus ferociebat, ſputa ſine omni ſanguine pura ſunt, pulſusque multum liberior, fortior ac pacatior, morbilli nunc vniuerſo in corpore laete proſtant.

27ma omnia eadem inueniuntur, continuat ſuis remediis.

28ua maior iterum obpreſſio pectoris acceſſit, ſputaque copioſiora et foediora, aluus autem a biduo obſtipa, addebantur igitur miſt. ſal. miti drach. duae arcani duplic. ac iniiciebatur clysma, indeque veſperi omnia iam mitigabantur.

29na morbilli evaneſcunt, febris minuitur, aluus ter fluxit copioſa, tuſſis tamen moleſta perſtat, ſputis puris quidem, ſed copioſis puriformibus foetidis; praeſcriptum inde fuit decoct. lichenis cum oxymelle ſquillitico, ſicque 4ta Iulii ſanus abiuit,

An ergo ſemper tuſſis ſicca morbillorum comes?

Plures tales caſus inter morbillos orphanotropii producentur.

Varioloſum hac aeſtate nullum habui nec in noſocomio, nec domo laboratoria, nec orphanotropio, nec in vrbe, ab amicis collegis autem audiui, iam in primordio variolas peſſimae notae confluentes, liuidas putridas fuiſſe;

autumno

autumno ſaltem variolas eas maligniſſimas expertus ſum in orphanotropio, et in vrbe.

Dyſſenteriae rariores quidem, ſed contumaciſſimae eae fuerunt folioſo inflammatoriae plerumque inmoleſtam arthritidem abeuntes, vtut euacuans medella adhiberetur, ab omni enim et leuiſſimo adſtringente et ipſo rheo et arnicae radice, tormina tenesmusque plurimum augebantur, ab anodynis autem febris intendebatur, ac delirium pronum erat. Euacuabatur autem et per emetica, et purgantia, et ſpontanea etiam aluo bilis ſincera viridis ramentis plurimis ſanguinolentis referta; V. Snum ſanguis phlogiſticus, ac flauidiſſimo colore tinctus erat, nullumque inde malorum ſequebatur leuamen, ab emollientibus tormina minuebantur quidem, non item tenesmi frequentia, nec alui ſanguinolenta natura, nec pulſus febrilis durusque.

Veſicantia, quae hic mihi indicatiſſima adparebant, a nullo meorum aegrorum admittebantur, ſudores tamen largi ſpontanei nec hilum malum emendabant, ſicque malum in ſeptimanas protrahebatur, tarda laborioſaque conualeſcentia tandem finiens.

Febres tunc etiam dominabantur plurimae, quarum copiam et in noſocomio et in domo laboratoria tunc habebam, eaeque omnes fuerunt islioſae cum inflammatione miſtae: adeo, vt et ipſis infantibus ante emeticum venam ſecare debuerim, nonnunquam etiam bis, binae tantum fuerunt puellae, in quibus haec

febris

ſebris ex bilioſa in putridam indolem pergeret, ſed in plurimis et infantibus et adultis per emeſin vermes teretes aliquot euacuabantur, rarius per aluum ſecedebant.

Mirabuntur forſan, cur febres has non potius verminoſas, quam bilioſas dixerim, ſed fateor me vermes, lumbricos praeſertim non pro ominoſo adeo animali habere, quam communiter id fit, plurimum enim turbarum a ſaburra, vermium aut cauſſa aut comite oriri iam credidit Brouzet, idque ſequentibus ex argumentis, quia frequenter homo omnibus ſub ſymptomatibus vermium moriatur, et in cadauere vermis nullus inueniatur, cum econtra homines in vniuerſa vita de nullo ſymptomate vermium conquaeſti, quocunque caſu dein mortui inteſtina vermibus obſita demonſtrant, quia ſaburra irritans primas vias ea ſymptomata producere debeat, quae ſtimulus mechanicus per plures forſan iam annos inteſtinis indigenorum vermium vix vnquam excitare valet; his appono, quod praeſente febre aliunde nullo laudatorum ac efficacium anthelminticorum vti liceat, et quod hypecacuanha et crem. tart. emet. ſaburram euerrentia feliciſſima ſint anthelmintica. In hac ſaltem recenſita epidemia nullis purgantibus febris aut vermes ceſſerunt, ſed optime emetico. Demum alia vtique methodo tractanda eſt febris ab iisdem vermibus orta, quae ſymptomatibus neruoſis, alia, quae inflammatione, alia quae putredine ſtipata eſt, vermes ergo ipſi naturam febris non mutant,

ſed tantum varietatem aliquam febrium ponunt.

Sequentes caſus memorabiles ſunt.

Vltima Iulii acceſſit faber lignarius noſocomium, qui narrat, ſe a triennio aneuriſma lateris dextri habere, indeque ſub labore ſuo ſaepius palpitationes cordis tantas percipere, vt ſedere et quieſcere debeat, a quatriduo autem has cordis palpationes enormes eſſe ac continuas, horruiſſe ſeſe ante quatriduum, grauiterque dein caluiſſe, noctes inſomnes eſſe, os amareſcere, adpetitum deletum, ſitim ingentem, doloresque capitis ardentes adeſſe. Inquirens inuenio palpitationem cordis validam, ac eneuriſmaticum tumorem nucis moſchatae magnitudine inter coſtam quartam et tertiam veram video, faciem flauentem genis ruberrimis, linguam aſperam hirtam, ac totam virideſcentem, pulſum perfrequentem pro circumſtantiis non multum inaequalem, ſed fortem plenum.

Venam ſeco largiter, et ſine euphoria ſanguinem extraho praerubentem ac mollem. Miſt. ſal. mitem et decoctum antiphlog. praeſcribo.

1ma Auguſti noctu calorem ardentem, palpitationesque ingentes fuiſſe audio, indeque aegrum nil dormiiſſe, hodie pulſum celeriorem, magis inaequalem inuenio, aegerque de intolerabili amaritie oris et nauſea contra ipſum etiam potum conqueritur, aluum ter habuit eamque viridem.

Veſperi

Veſperi tantis anxietatibus torquebatur, quas ructibus copioſe adſcententibus et media in via haerentibus adſcribebat, vt lecto ſurgeret. Tandem a dato emetico euomuit bilem ſinceram, viridem copioſam, euaneſcente inde anxietate, palpitatione caloreque imminutis adeo, vt noctu aliquot tamen horis dormiret.

2da Auguſti lingua eadem adhuc, amarities perſtat, reliqua moderatiora nonnil,

3tia Auguſti peiora ab heſterna veſpera omnia, praeſertim palpitatio moleſtior iterum, veſpertina exacerbatio intenſa.

4ta Auguſti nox inſomnis fuit ſummeque anxia, lingua virideſcens, aluus tenuis frequens, veſpertinus ſpontaneus vomitus bilioſus, ac plurima inde euphoria, noctu per vices dormiuit.

5ta Auguſti meliora omnia, miſt. ſal. addo duplam doſim ſalium.

6ta Auguſti ſexies deiecit noctu ſubpulacea cum leuamine, ſicque in fine dato infuſo rad. rhei, conualuit 15ta Auguſti, vt ad ſuos iterum rediret labores.

Palpitationum, anxietatum, aliorumque in pectore perceptorum malorum originem et ſedem perſaepe in ventre inueni, ſic vidi Viennae in faemina praeſeni violentam eamque chronicam cordis palpitationem, quae omnibus remediis reſiſteret, expurgatis copioſe per anum vermibus ceſſaret. Quid ergo miri, ſi ſaburra primarum viarum, idiopathica cordis pulmonumque mala multum augeat ac inten-

 dat?

dat? eaque ſaburra excuſſa id antiqui mali augmentum ceſſet denuo? vel an deterreri ſemper nos patiamur, ne in tali caſu vnquam emeticum exhibere audeamus? caſus recenſitus reſponſi loco ſit.

Puella 9 annorum in domo laboratoria ſimili corripitur febre, ſed iam primo triduo tanta ſimul iungebatur ſurditas, vt trunco inſenſilior eſſet, linguae faeditas, ructus copioſi, tumor regionis gaſtricae, exacerbatio quotidiana veſpertina cum delirio, vrina iam per biduum ſubpreſſa iam incontinenter defluens, ſubſultus tendinum, decubitus ſupinus, floccorum vellicatio, muſcarum venatio 6ta die morbi omnia aderant; tertio tandem emetico ingens bilioſorum humorum copia cum tribus vermibus teretibus excutiabatur, malaque omnia euaneſcebant.

Alia puella 11 annorum ſubito noctu conuellitur, altera die illam inuenio febricitantem cum tanta abdominis vniuerſi tenſione, vt hydropici ad inſtar turgeret, tracto puellam ſoluentibus ſalinis, ac tandem emeticis, et tumor ventris euacuata multa aeruginoſa acerrima bile plenarie vna cum febre euanuit.

Tertia talis puella eadem methodo a febre ſimili bilioſo pituitoſa pulchre conualuit, ſurrexit, ambulauit, laborauit, ſed octiduo poſt, crura tument, venter dein; vltimo facies, adhibeo remedia laudatiſſima, tumorque euaneſcit, ſed paulopoſt denuo redux fit, et ſecunda vice fugatur malum, adhibeturque omnis ſolertia, vt recidiua praecaueatur, ſed et

tertia

tertia vice malum redit, rebelle adeo, vt indies aucto tumore ſuffocaretur, centeſimo tertio morbi vniuerſi die.

Hic ſecundus fuit caſus hydropis, quem videram pediſſequum morbi acuti a me tractati, in neutro tamen caſu opem ferre potui, vt vaſa lymphatica rupta aliqua fuerint, opporteat.

CAPVT VIII.

Obſeruationes miſtae.

Varii alii morbi, praeſertim chronici vario hoc tempore tum in noſocomio tum praxi vrbana occurebant, de quorum aliquibus pauca memorabo.

Iſchiadicos plures videre mihi contigit, qui per menſes quin annos nonnunquam hoc malo laborabant, et quibus nullibi iuſta adhibebatur medelia, adeo ignotus plurimis noſtris practicis tam medicis quam chyrurgis eſt adhucdum Cottunius.

Aliquibus horum venam ſecui, ac antiphlogiſtica praebui, dein Cottunianam adhibui methodum, aliis purgantia, aliquibus emeticum ante veſicans adminiſtraui, nullibi me fefellit praemiſſis praemittendis emplaſtrum cantharidum iuſto loco adplicatum, ac rariſſimis caſibus repetitum.

Sed

Sed vidi duplicem in eodem crure et aegro Iſchiadem poſticam et anticam ſimul, quarum prima ſecundo veſicanti feliciter ceſſit, ſed altera nec hilum per ternum veſicans emendabatur, vtut ſimul variis, iisque laudatiſſimis internis remediis vſus fuerim.

Aeque certo obſeruationibus circa hos aegros factis conſtitit, quod quousque ſerum tantum tenue per veſicans extraheretur, non multum ſequeretur leuaminis, ſed dum ſerum viſcidum, quod in atmoſphaera quieſcens placentae ſanguineae adinſtar in medio coagularetur in maſſam pellucidam flauamque ſed ſolidam, producebatur, certum et conſtans ſequebatur ſolamen.

Iuuenem aeſtate anni 1780 in noſocomio habui ſartorem, qui ambobus genubus dolebat plurimum, inflatis ligamentis omnibus tumore molli elaſtico concolore, tantaque debilitate articuli, vt incedere volenti genua vacillarent non ſolum, ſed ſubluxarentur ſimul. Valuit caeterum bene homo; et rheumaticum morbum perpeſſum, neglectum ac tandem ſponte cedentem pro mali vnica cauſſa aſſerebat: huic plurima adhibui remedia reſoluentiſſima fomentorum, linimentorum, emplaſtrorumque forma, ac interne remediis antiarthriticis interpoſui frequentia emetica, ſed incaſſum omnia, augebatur indies malum. Ambobus

bobus tandem genubus veſicans adplicui, ac ob leuamen ſecutum paullopoſt repetii ſaluberrimo eo effectu, vt ſanus firmusque paullopoſt noſocomio valediceret.

Mirabiliorem caſum vidi faeminae, quae iam hoc momento omnibus prachendebatur ſymptomatibus ſungi genu ſiniſtri, et paullopoſt his omnibus euanidis efflorefcentiam herpeticam ambabus manibus experiebatur, qua iterum diſparente priora in crure redirent mala, idque viciſſitudine conſtante ac perfrequente, nil innumerorum remediorum adhibitorum opem tulit, excepto fluxu continuo materiei ſubſanioſae procurato quotidiana adplicatione Cort. mezeraei ad brachia.

Tam diuerſa ergo cauſſa eſſe poteſt morbi, quem plebs chyrurgorum pro eodem ſemper habet, et tractat, vtut celeberrimorum virorum graphicae huius morbi proſtent pertractationes, quarum omnium praeſtantiſſima eſt, quae in Brown Cheſton obſeruationibus pathologicis circa morbos chyrurgicos factis continetur.

Ob mali affinitatem de ſcrophulis aliquot adſeram obſeruationes.

Perfrequens hoc malum inter iuuentutem Boëmam inuenio tam in orphanotropio, domo laboratoria, quam etiam melioris conditionis domibus. Cauſſam mali inuenire, difficile

cile non eſt, ſi iis quae ſuperius de vitae norma Boëmorum dictum eſt, adiungas, pultes farinoſas infantiae, placentasque illas in Boëmia Kolaczen nomine celebres pueritiae ſolennem cibum eſſe, et lactanti adhuc infanti ſub vberibus cereuiſiam iam inſtillari, quae fucata ſaepe glutine animali eſt. Sub pueritia vix grauiter inde laborant, excepto vno alteroue, ſed iuuenilem induentes aetatem grauius plectuntur ophtalmia graui, et foedis vlceribus, et phtyſi.

Dum morbus iam per annum vnum alterumque confirmatus fuerat, per nulla quaecunque remedia tum externa tum interna quidquam leuaminis adtuli, recenti malo nonnunquam emeticis, ſoluentibus ſalinis, mercurialibus ac marte obicem poſui, quamquam et haec raro ſucceſſiſſe fateri debeam.

Aeſtate anni 1780 traditur mihi curandus in noſocomium 40 annorum vir, qui totus ſcrophuloſus, a biennio iam graui laborat ophtalmia, vnde vnius oculi cornea tota opaca iam reddita, altera talis fieri incipit, adhibui emetica, chaerophilum, ſcrophulariam, cicutam, mercurialia varia, antimonialia omnia, ſales medios et alcalinos, ſapones, vitriolum martis, ſpongiam vſtam, ſetaceum, aliaque plura, nec hilum mutato, aut in ſuo progreſſu impedito malo, poſt quatuor enim menſium medellam ambobus oculis excaecatus, ac vndique nodis ſcrophuloſis rigidus ad ſuos rediit.

Similis

Similis alius ſcrophuloſus lue inſuper adfectus venerea in collo quatuor habuit vlcera, glandulas ſcrophuloſas exedentia, qui validiſſimis mercurialibus tandem a refractaria ſua lue, ſed nec hilum a ſuis ſcrophulis curabatur.

Inertia ac vti veteres non inepte ſe explicare ſolebant, frigiditas humoris ſcrophuloſi certe maxima eſſe debet, quae a tenera infantia ad 40mum vsque aetatis annum mitis, quietaque in glandulis ſtagnat, ac tarde adeo in actum prorumpit.

Sed an omnium ſcrophularum eadem cauſſa materialis? id plurimis practicis adfirmatum fuiſſe, ac inde hucusque incurabilitatem huius mali ortam eſſe crediderο, quia obſeruationibus conſtat, cacochymiam pituitoſam, veneream, varioloſam, morbilloſam, ſcarlatinoſam &c. &c. ſcrophulas producere natura ſua certo diuerſas. En elegantem arthriticarum ſcrophularum caſum.

Iuuenis 25 annorum nunquam ſcrophuloſus, praehenditur aeſtate anni 1780 lumbagine arthritica bilioſo inflammatoriae naturae, quae a binis V. S. terno emetico, copioſiſſimisque ſoluentibus catharcticis ac veſicantibus minuebatur quidem, vt tandem poſt binorum menſium decurſum ſurgere, ſed non tollebatur, vt ſine dolore ac erecto corpore incedere, valuerit, tandem pillulis ex extracto cicutae et aconiti, addito mercurio dulci et ſulphure aurato antimonii, ceſſit contumax morbus intra tres ſeptimanas perfectiſſime, ſed octiduo poſt

ſine

ſine vlla commiſſa cauſſa veſperae parotis ſiniſtra ſubito intumet, de nocte euaneſcit iterum, idque ad quartam vsque vicem, vt ob hanc facilem tergiuerſationem mali nullam quaereret opem, ſed quarta demum vice rediens tumor nullis quibuscunque reſoluentibus ac diſcutientibus ceſſit remediis, ſed poſt octo ſeptimanarum elapſum rubere, dolere, molliri ac ſubpurari coepit ſponte, ac remediis maturantibus poſt 6 ſeptimanarum decurſum eovsque ſubpurabatur, vt ſponte rupto abſceſſu pus bonae notae prodierit, reſtiterit autem vlcus ſinuoſum, ichorem tenuem plorans per 4 menſes, ſanato dein hoc vlcere glandulam proximam ſubmaxillarem aggrediebatur malum, eodem tenore decurrens, ſicque ad hodiernum vsque diem continuat malum omnibus iam glandulis ad parothidem dextram vsque ſucceſſiue intumentibus, exulceratis ac reſanatis. Sub hoc tempore vſus fuit innumeris validiſſimis ac laudatiſſimis remediis, ſed incaſſum, vt cum caeterum bene ſat valeat, iam omni remedio abſtinere illum iuſſerim, viſurus quonam malum ſeſe verterit, dum parotidem alteram adfecerit vltimatim.

Puella in orphanotropio ſumme ſcrophuloſa, morbillis malignis aeſtate anni 1781 prachenſa, ac inde omni nota phtyſica facta fuit, ſputa eiiciebat foetidiſſima purulenta, foeda, febreque hectica valida laborabat, ſed decocto lichenis et polygalae amarae ceſſit omi-

noſum

noſum malum perfecte adeo, vt excepto morbo ſuo ſcrophuloſo valeat adhucdum optime.

De lue venerea laudatiſſimorum authorum dicta non ſemper uera inueni; tam difficile eſt in re medica quidquam vniuerſaliter adſerere. Vidi, et ſtudioſis in noſocomio monſtraui, bis cancros venereos magnos in dorſo et cute penis ſedentes, negat tamen id vnquam fieri Aſtruc et alii plures.

Bis quoque gonorrhoeam in eodem obſeruaui viro, quae prima vice octo, altera vice decem primo diebus poſt coitum celebratum prorumpebat, ſed benigniſſimam vtraque vice, ſolique aptae vitae normae facile cedentem; adfirmat tamen Preſſauin aliique, quod, quo tardius gonorrhaea prorumpit, eo peioris ſemper ſit indolis.

Hucusque nullum adhuc omnium praeparatorum mercurialium tale inueni, vt in aliquibus ſubiectis exiliore etiam ſub doſi ſaliuationem non mouiſſet.

Sed et id mihi frequenter obſeruare contigit, quod vbi vna methodus mercurium exhibendi fefellerat perfecte, altera optime ſucceſſerit, vt certo vituperandi ſint illi, qui vni tantum methodo addicti omnes reliquas reiiciunt.

Iuuenem 26 annorum arthritide venerea cum exanthemate cupreo vniuerſum corpus obtegente

obtegente in noſocomio habui, qui inſimul validiſſima febre inflammatoria laborauit, tei ipſi venam ſecui, copioſiſſimaque antiphlogiſtica exhibui incaſſum, tandem opium quotidie dedi, ſub quo febris quidem frangeretur inſigniter, ſed nullatenus malum venereum, quod tandem pillulis ex mercurio dulci et opio anaticis partibus conſtantibus ceſſit.

Eſt mihi haec formula, mercurii dulcis, opii ãã dra. ß vnde F. pillulae ſingulae gr. j. quarum ab initio binae, ſucceſſiue etiam octo de die exhiberentur, iam ab aliquot annis pro arthritide venerea in vſu, idque felici cum euentu, num autem ſalutarem hunc effectum ſoli opio, an potius mercurio tribuam, neſcio, ſed animus mihi eſt proxima, qua potiar occaſione experimenta dexterrimi Schoepf repetendi.

Ante biennium conſulebar a patre filiae 10 annorum, quae ante annum phlegmonem in brachio paſſa fuerat, qui phlegmo in vlcus ſinuoſum a binis chyrurgis non curabile abiuerat, vnde filiam crediderat foeminae vnguentariae, quae intra ſex ſeptimanas vlcus ſanauit, ſed paullopoſt prorumpebat alius abſceſſus in ſcapula, quem iisdem medicamentis externis ſanauit agyrta mulier, binis menſibus poſtea nares externe prurire, rubere, tumere incipiunt, ac naſcitur tempore breuiſſimo trium ſeptimanarum vlcus foedum cancroſum pinnarum dextram et ſubiacentem partem labii ſuperioris corrodens, cum dolore ingenti, foe-

tore.

tore, fundo vlceris lardaceo, labiisque duris retorſis. Pallebat inſuper puella foede, triſtis moroſaque fuit, talemque ſemper fuiſſe a patre audio. Inquirebam ſollicitiſſime in cauſſam tanti mali, tandemque a patre percipio, puellam iam primo vitae anno a nutrice venerea infectam, Viennae integram a chyrurgo ſuſtinuiſſe medellam luis, exindeque ſanam hucusque vixiſſe, ſi pallorem illum et moroſam inertiam excipias, donec phlegmo ille, reliquaque mala irruerint; his patri gratulabar, ſi malum hunc habuerit fontem, et extractum cicutae cum mercurio dulci, externe autem aquam deſtillatam cicutae cum mercurio ſublimato corroſiuo praeſcribo, eo euentu, vt poſt binorum menſium ſpatium vniuerſum malum integre diſparuerit, ſanaque nunc viuat puella.

Plura vtique apud antiquos et nouos ſiphylitidis hiſtoriographos proſtant exempla, vbi virus venereum per plures ſaepe annos tectum adeo latuerit, vt nullam ſui notam prodiderit, idque praeſertim tunc fieri adnotarunt, ſi infans a parentibus venereis natus, aut nutrice venerea lactatus, aut etiam adultus a venerea labe adfectus ac imperfecta medella ſemicuratus fuerit; horum vtrumque vltimum in hac puella notatur.

Miratus fui medellae citam efficaciam, cum alias inueterata talia mala, nonniſi fortiſſimis diuque adhibitis remediis cedere velint. Sed ſtupui quoque in aliis caſibus largiſſimarum doſium mercuralium in hoc morbo inefficaciam,

quamuis

quamuis ſaepe hac in re falli poſſit medens.

Praeſcripſi homini venereo ſolutionem Swittenianam, abſumſitque is huius ſolutionis libr. ij. ſine omni aut ſiniſtro aut bono effectu, miratus fui actuoſiſſimi caeterum remedii tantam inertiam, et facile quis tali obſeruatione vſus fuiſſet ad culpandum ipſum remedium. Ego me praeſente in eadem pharmacopoea, vnde remedia quaerebat aeger, ſolutionem hanc fieri curo, videoque mercurium ſublimatum marmoreo in mortario teri, et cum ſpiritus frumenti ad manus non eſſet, ſpiritum vini ſumi, cumque dupla parte aquae fontanae (quae Pragae terreſtres multum ſunt) dilui, indeque ſolutionem pulcre lacteſcentem per cartam emporeticam filtrari: quaerenti mihi, num ſemper lacteſcat ita ſolutio, adfirmatum id fuit, ſicque conſtitit remedii actuoſiſſimi loco aegrum ſimplici vſum fuiſſe ſpiritu vini aqua diluto.

Denique id notandum adhuc eſt, me vidiſſe mala varia alia, penis, vrethrae, pudendorumque foemineorum alte pro venereis declarata, quae talia minime fuerint: credere enim videntur noſtri chyrurgi, ac ſi partes naturales priuilegio aliquo gauderent, de nullo alio morbo perpetiendo quam venereo, cum tamen in Celſo, qui morbum venereum certo non nouit, libri VI. caput XVIII. integrum de variis morbis harum partium tractet.

Elegan-

Elegantiſſimas obſeruationes Illuſt. Pott de paralyſi inferiorum partium rachitica pulcro exemplo confirmatas vidi.

Puer 10 annorum a 6to aetatis anno rachiticus aeſtate anni 1780 lento progreſſu ambobus cruribus debilitatur adeo, vt ſucceſſiue vim omnem incedendi et ſeſe erigendi perderet, quin ſub vſu optimorum ac laudatiſſimorum remediorum hyeme inſequente etiam poteſtate aluum et vrinam retinendi priuaretur. Iuſſi igitur ſuaſu Illuſtris Pott, vt cum nullibi in vniuerſa ſpina dorſali gibboſitas adpareret, vt dico ambobus in lumbis fonticulus ſecaretur, ac in fluxu ſeruaretur, hocque ſimplici auxilio effectum fuit, vt vere anni 1781 de puero feliciter reſtituto gauderemus; aluum et vrinam continuit, ſurrexit, ambulauit, valuit.

Caeterum pluries inefficaciam laudatiſſimorum ac diuerſiſſimorum remediorum in rachitide dolui, imminentem enim difficillime praeuerti, confirmatam nunquam curaui.

Affinitas multa mihi videtur intereſſe rachitidem inter et malum ſcrophuloſum, vt credam ibi ab eadem cauſſa materiali oſſa hic glandulas adfici, differentiaque accidentali tantum binos hos morbos differre.

De

De Podagra retrograda quosdam, quos vidi fieri errores, notare debeo. Dum quis, qui podagra ſemel laborauit, quocunque morbo praeſertim tempore inſtantis paroxysmi prehenditur, culpa omnis in podagram adſcendentem, vti vocant, reiicitur, veſicantia illico longa adhibentur, pellentia vinoſa aliaque praebentur, ſed ſaepe ſiniſtro euentu, non enim podagra emanens ſemper cauſſa eſt morbi, ſed perſaepe morbus cauſſa eſt podagrae emanentis, ſi enim natura nulla re ab operatione ſua impediretur, podagra aequalem ſuum ſeruaret tenorem, vnde remouendo turbans illud naturam, podagram reducimus, ac inde ſaepe V. Sne, ſaepe purgantibus, quin emeticis morbum ſanaui, podagram reduxi.

CAPVT IX.

Sectiones cadauerum variae.

Abſceſſus hepatis ingens.

Vndecima Iunii 1779 ſuſcepi virum ruſticum vinitorem, habitus robuſtiſſimi ac fibrae ſtrictae, qui ſequentia nobis narrat: omni anno bis aut ter ipſum catarrho pulmonum laboraſſe, a quo tamen ſemper dato per chyrurgum

chyrurgum emetico aut nonnunquam purgante, et facta V. Sne facile ſanabatur, hac vice ante quatuordecim dies ſe ſimili catarrho fuiſſe correptum, ſed cum nec V. S. nec purganti ceſſiſſe, econtra ſe indies peius habere, cum horrore et calore, tuſſi plurima, et dolore lateris dextri ſub mamma, horrores hos hucusque frequentius de die redire, aluum eſſe liquidam ac torminoſam, adpetitum bonum, ſitim plurimam, ſomnum nullum, tuſſim validam, cum ſputis albo flauis copioſis. Inuenimus pulſum contractum, durum ac perfrequentem, reſpirium paruum ac denſum, linguam albam ac glutinoſam, cutim aſperam ſicciſſimam, vrinam rubram parcam, nil continentem. Venam ſeco, ac miſt. ſal. mitem ac decoct. antiphlog. exhibeo, et clysma emolliens iniici curo. V. Snis ſanguis praeter placentam nonnil tenaciorem vix culpabilis, aluus tenuis praefoetida.

12ma Iunii noctu delirauit; caetera eadem, ſed tuſſis ſtrepens ſtertoroſa fere.

13tia denuo exacerbatio veſpertina caloris omniumque ſymptomaton tanta, vt tota nocte delirauerit iterum, mane pulſus debiles ac praeceleres, reſpiratione fere bona; dolor abdominis vagus notabilis, caetera eadem; datum ſerum lactis vinoſum.

14ta melius dormiit, dolores abdominis remiſerunt, aluusque liquida compreſſa ſuit ita, vt tota die aluum non haberet, ſputa copioſa, vere purulenta, caetera eadem.

15ta denuo noctu delirauit, dolores capitis acceſſerunt, pulſus celerior durior, reſpiratio tardior ſublimis, aluus denuo obſtipa, vrina tenuis rubra, dolor ventris vagus rediit, ac pedes tumere incipiunt. Datum decoct. reſolu. cum ſale medio et manna, et clysma catarct. mite.

16ta omnia eadem.

17ma noctu fortius delirauit, reſpiratio cita ac ſtrepens, lingua alba glutinoſiſſima; aluus tenuis glutinoſa parca, vrina pallida cum enaeoremate ſubſidente, dolorque abdominis maior; caetera eadem, dabatur miſt. ſal. acris cum chermete minerali.

18va 19na et 20ma omnia eadem.

21ma pulſus debilior, tardior, reſpiratio denſior ſtrepens, inaequalis, tuſſis validior, ſed ſiccior ſputis et parcioribus, et ſpiſſioribus, foetidisque, vrina cruda, aluus dura parca; ſitis nulla, adpetitus deletus, dolor abdominis maior, tumorque crurum inſigniter auctus.

22da noctu et toto mane delirauit, pulſus durior ſed valde contractus, cita ſtrepens et inaequalis reſpiratio, tuſſis fortior, ſputa liberiora ſincere purulenta foetida, aluus tenuis praefoetens et glutinoſa, finiente delirio ſuſurrus aurium et ſopor leuis; bina adhibita veſicantia, et decocto vinoſo, et miſt. ſal. acri cum chermet. continuabatur.

23tia et 24ta omnia eadem, niſi quod de die non amplius deliraret.

25ta diu noctuque delirauit, pulſus intermittens, ſputa exigua, vrina pallida tenuis, decocto vinoſo additum oxymel ſquillit.

26ta continuum delirium ferox, pulſus debilis praeceler, reſpiratio rara et parua, ſputa pauca et valde foetentia, aluus et vrina inſcio aegro profluens, facies ſquallida.

27ma omnia eadem.

28ua Iunii ſopor, facies hypocratica, ſubſultus tendinum, et hora vndecima noctis mors placida.

Cadauer tumida ad ſuprema foemora vsque exhibuit crura, faciemque hominis mutatam adeo, vt cognoſci vix potuerit; aperto thorace pulmones copioſo ſero flauenti innatantes videbantur, ipſi facie externa ſani, dexter tamen pleurae, et margine ſuo inferiore diaphragmati adeo firmiter adcretus fuit, vt ſine laeſione vel ſubſtantiae pulmonis, vel diaphragmatis ſeparari non potuerint, ſeparatione autem facta nihil adparebat notabilis in diaphragmate, pulmonibus exemptis copioſum pus ex larynge ſtillauit, ſubſtantia autem pulmonum vniuerſa naturalis adeo, vt nil indurati, inflammati, aut ſubpurati inueniremus. Exemptis pulmonibus diaphragmatis fornix in latere dextro longe altius naturali, in thoracem prominere obſeruabatur, et diſſecto abdomine inueniebatur in hepatis lobi maioris ſuperiore parte abſceſſus cauus ingens, pus albo flauum ſpiſſiuſculum non foetidum ad libras certe duas continens, et ſuo margine ſu-

 periore

periore diaphragmati firmiſſime adcretus; diſciſſus hic, ſinus quatuor ſat profundos in ſubſtantiam vlteriorem hepatis diffundebat, lobus anterior tenuior hepatis naturalis fuit, ſed circa lobulum ſpigellii tres alii abſceſſus, duo nucis magnitudine, tertius oui maioris volumine ſimile bonum continebant pus.

Veſicula fellea dimidio vacua continebat bilem ſpiſſiuſculam viridem.

In ventriculo copioſum ſimile fuit inuentum pus, ſubſtantia ventriculi bona.

Lien naturali multo pallidior, habuit in ſua ſuperficie poſteriore plagam groſſi magnitudine, albedine ſincera reſplendentem duram, quae diſſecta mediam inter cartilaginem et ligamentum ſeruaret naturam, non tamen vltra lineae profunditatem haberet. Caetera viſcera abdominalia ſana.

Encephalon adpertum non fuit.

En fucatam ſub larua phtyſeos pulmonalis phtyſin hepaticam, vt adeo ſputis purulentis ſemper fidendum, ac inde de phtyſi pulmonali edicendum non ſit. Sed en ſimul phtyſin acutam curriculo triginta dierum finientem, vt et inde conſpiciamus, quid de illis diuiſionibus morborum in acutos et chronicos cenſendum, cum ipſe idemque morbus iam acutus, iam chronicus eſſe poſſit.

Quam mira hoc in caſu variatio pulſuum et reſpirii, iam enim pulſu celerrimo reſpiratio tarda, iam reſpiratione denſa, pulſus rarus fuit, prouti nempe in plurimis adfectibus

bus hepatis et inde oriundo malo hypochondriaco ſimiles obſeruamus circa actiones has vitales variationes.

Qua via pus ex hepate in pulmones perueuerit elegantior, quam vtilis foret quaeſtio, ſufficit conſtare, viam adeſſe debuiſſe.

Caeterum non infrequens hoc malum eſſe iudico, pluries enim mihi contigit, vt quos alii practici pro phtyſicis conclamatis derelinquerent, ego hirudinibus ad hoemorrhoides, remediis ſoluentibus ſalinis, thermis Carolinis ſanauerim, aut ſaltem in annos tolerabiliter protraxerim.

Virum iuuenem Presbyterum ſub cura mea habui, qui ſummus olim haemorrhoidarius operationem fiſtulae ani ſuſtinuerat, vnde haemorrhoides fluere ceſſauerant, ſed illico omnibus ſymptomatibus verae phtyſeos pulmonalis correptus fuit, inueniebantur haemorrhoides internae in fungoſa tubercula excretae, indeque depoſitionem alui et adplicationem clysmaton difficillimam reddentes: a ſoluentibus leuamen habuit, dum a roborantibus ſemper peius habuerit, tandem haemoptoicus a violentia tuſſis mortuus eſt.

SECTIO II.

Scyrrhus pylori.

10ma Decembris 1780 venit in noſocomium vir 36 annorum conditionis ſuae molitor, vitae norma nonnil lautiore vſus, qui caeterum ſe ſanum percipiebat, ſed a biennio ſae-

pius

pius coecis haemorrhoidibus adſectus fuit, ſine cauſſa manifeſta; nil remedii nec externi nec interni adhibuit, et ſponte ſemper haemorrhoides diſparuerunt, a trimeſtri autem aegrotare caepit, idque cum dolore grauatiuo ventriculi, difficultate coctionis, debilitate multa corporis et vomitu quotidiano veſpertino, ſumſit contra haec mala ſemel emeticum, a quo autem non vomuit, ſed 14 purgatus fuit, ſumſit purgantia frequentia, adhibuit veſicantia ſine omni leuamine; hac die, qua illum ſuſcepimus, reſpiratio et pulſus naturales erant, aluus a biduo obſtructa, vrina craſſiſſima ſedimentoſa, appetitus bonus, ſomnus naturalis, ac dolor in regione. Iliaca ſiniſtra, ſine vllo tumore aut duritie obſeruanda in vniuerſo abdomine. Data fuit miſt. ſal. mitis, decoctum reſoluens, clysma catarct. cum borace bis de die iniectum

11ma Decemb. ſat bene dormiit, ſub adplicatione clysmatis acutum dolorem in inteſtino recto percepit, et aluus clysmati ter reſpondens ſanguine tincta fuit, inſtituta per chyrurgum inſpectione inueniebantur vaſa haemorrhoidalia interna plurimo ſanguine infarcta, et quae leui preſſione ſanguinem funderent, vomuit iterum veſperae copiam ingentem materiae pultaceae, ſumme viſcoſae, fuſcae ac foetidae.

21ma Decembris nil ab his remediis in melius profecit, quin aluus iterum obſtructa duriſſima facta fuit, et in dextro latere iacentem ructus

ce-

copioſiſſimi paullopoſt a vomitu excipiendi torquebant, vnde aqua laxatiua data fuit, et ſpiritus Menthae dra. j. miſt. ſalinae addita.

25ta omnibus ſtantibus iisdem hirudines haemorrhoidibus adplicatae, multum ſanguinis viſcidi ſubtraxerunt, et data fuit tinct. ex liquore viſcerali Hoffmanni et Elixirio proprietatis, vnde quater de die cochleare ſumeret.

1ma Ianuarii omnia eadem perſtant vna cum vomitu, ſed vires indies magis perduntur, non febricitat, et cum tandem tincturam nauſearet, datae fuerunt pillulae ex M. P. Ruffii.

7ma aliquot diebus vomitus emanet, ſed tunc eo magis angitur aeger, et tandem eo maiore impetu maxima copia eiusdem eiicitur materiae; pedes tumere incipiunt, praeter pillulas datum fuit decoct. ligni et baccar. iuniperi.

20ma omnia eadem, ſed debilitas, macies et tumor inferiorum augentur, ita vt et ſcrotum et abdomen tumeat.

28ua acceſſit tuſſis moleſta, ſicca, reſpiratio anheloſa, pulſus debilis, ſed non febrilis, ſtranguria vrinae craſſiſſimae, ſingultus, facies hyppocratica, et 29na noctu placida mors.

Sectum cadauer ſuperioribus artubus ſumme emaciatum, inferioribus tumens, abdomen durum ac ſumme renitens inueniebatur. Pulmones naturales, excepta aliqua plaga, quae cicatrici durae ſimilis, quinque lineas longa,

binas

binas lata, alba, reſplendens, tendinea, in ſuperficie externa pulmonis ſiniſtri obſeruabatur, exigua praeterea copia ſeri flauentis in cauo thoracis fuit.

Abdomen apertum longe maiorem copiam huius praebuit effuſi ſeri, ventriculus naturali multo maior, figura ſua autem plane naturalis; ſed pars proxima pylorum ſpectans ad 4 digitorum longitudinem, et infra pylorum ad 3 digitorum ſpatium erat duriſſima ligamenti ad inſtar rigida, ſimulque in ſua naturali craſſitie adeo aucta, vt etiamſi ſua figura externa naturalis fuiſſet, interna cauitas pylori tam anguſta fuerit, vt nec calamum ſcriptorium transmitteret, durities haec albedine ſincera tendinea reſplenduit, pauciſſimaque habebat vaſa rubra. Hepar fuit emarcidum flaccidum ac naturali minus, veſicula fellea valde turgida, ſed aqua tenui parca flauedine colorata, lien exiguus valde fuit, inteſtina tenuia naturalia, colon autem in flexura hepatica et lienali aeque induratum, et cauitate ſua anguſtatum, vti pylorus, in parte ſua transuerſali, et ad rectum deſcendente naturale. Rectum in inferiore parte tubercula haemorrhoidalia grumoſo ſanguine plena, ſed vix piſi magnitudinem habentia exhibuit. Veſica et renes naturales.

SECTIO

SECTIO III.

Diabetes Spurius.

Decima Ianuarii 1781 in noſocomium venit lapicida 50 annorum, qui ſemper antea ſanum ſe fuiſſe adfirmabat; a quatuordecim diebus autem ex vehementi ira ac deſuper ingeſto hauſtu frigido aegrotabat. Incepit malum frigore intenſiſſimo praeſertim circa ventriculum incipiente, ac inde per totum corpus diſperſo, et per tres noctes diesque fere continuante, levibus tantum ac exiguis caloribus interrupto. Poſt primum hoc triduum calores manifeſtiores ac diuturniores fiebant, quotidiano tamen ac pomeridiano vrgente horrore, cum his mictum dolorificum experiebatur dolore a lumbis ad oſſa pubis progrediente, ac ipſam vrethram adficiente, vrinaque profluente copioſa et pallida tenui; ſitiebat intenſiſſime, nil adpetebat, ac debilitatem ſummam patiebatur.

Nil domi ſuae adhibuit remedii, ſi tria excipias clysmata, a quibus multum percepit leuaminis. Inuenimus pulſum percelerem, debilem, aequalem, reſpirationem anheloſam, linguam aſperrimam, ſicciſſimam puram, cutim lignea aſperitate ſquallentem, ac totum hominem ex debilitate trementem; praeſcriptum clysma ac decoctum emolliens, miſt. ſal. mitis et vnguentum anodynum pro frictione lumborum et hypogaſtrii.

12ma

12ma Ianuarii dolores lumborum minuuntur, ſed ingens profluit vrinae pallidae tenuis copia, cum ardore ſub mictu; caetera eadem. Fatetur ſe hoc mictu copioſo iam vltra annum laborare, ſed illum pro re nullius momenti habuiſſe. Praeſcripta fuit aquae laxatiuae media doſis cum ſalis medii dr. ij., vnde decies purgatus fuit, cum multo leuamine dolorum in lumbis; caetera autem eadem; datum nunc fuit infuſum trifolii fibrini.

15ta dolores lumborum et hypogaſtrii acuti iterum, lingua et cutis ſicciſſima, horrores de die cum caloribus alternantes, aluus naturalis, vrina copioſiſſima continuo, vt certo duplo quantitatem potus excederet, aluus bis de die libera, ſitis ingens, adpetitus mediocris, pulſus celer paruus, ſomnus creberrimo mictu interruptus, ita vt nocturnae vrinae quantitas ſemper maxima fuerit. Iubebatur, vt totum corpus vnguento fricaretur; datumque decoctum et miſtur. emolliens.

18ua dolores lumborum tanti iam ſunt, vt omnem motum impediant, caetera omnia eadem, datum nunc ſerum lactis aluminoſum, et lumbis adplicatum latum veſicans.

20ma dolores lumborum a veſicante euanuerunt, vt ſurgeret iterum aeger, ac ſeſe moueret, ſed vrinae copia et color idem.

22da denuo dolores lumborum recruduerunt, reliqua eadem; dati nunc cum ſero lactis aluminoſo pulueres ex rheo et herba vuae vrſi.

24ta vrinae quantitas minuitur notabiliter ita, vt vix medietas conſuetae antea copiae flueret, aluus bis, ter de die deſcendit, dolores lumborum exigui, ſed ſitis et pulſus idem.

28ua et mictus et dolores redeunt, caetera eadem; datum decoct. cort. peruv. ſaturatum, cui ad vnc. vj. addebantur vnc. ij. Elixirii ſtomachici, et vnc. j. liquoris viſceralis.

29na pulſus fit intermittens, vrina parca pallens cum ſedimento albo craſſo, aluum vltra trigeſies depoſuit, debiliſſimus procumbit, nullos dolores nec ſitim experitur, ſicque 3tia Februarii tranquille moritur.

In cadauere pectoralia inuenta ſaniſſima. Omentum exſuccum inflammatum, et peritoneo hinc inde ſat firmiter adcretum, inteſtina craſſa circa coecum valde contracta, deinde ampliora totaque ſumme inflammata; caetera viſcera in peritonaeo contenta naturalia erant; renes ambo colore eleganti marmoreo ex albo, rubro et caeruleo notabantur, figura naturales, diſciſſi in ſua ſubſtantia, magis tamen verſus ſuperficiem ſuam externam corpuſcula plura piſiformia monſtrabant, quae in aqua gumatis adinſtar perfecte ſolubilia, digitosque fortiter conglutinantia erant; ſubſtantia ipſa renum coloratior, ſed ſimul mollior naturali fuit, ren dexter maiorem horum tuberculorum continuit copiam quam ſiniſter. Vretheres ampliores, veſica contracta craſſa, ac ele-

elegantiſſimis fibris muſcularibus notabilis erat. Vrethra ſana.

Quid hic pro cauſſa morbi aſſerendum ſit, difficile determinatu eſt, an enim Diabetes ab heterogeneis illis in ſubſtantia renum inuentis? an a nimia irritabilitate vaſorum renalium? cum adeo inflammati inuenirentur renes? an vllibi talia gummoſa concrementa in renibus inuenta, notata ſunt?

SECTIO IV.

Iſchias metaſtatica muſculoſa.

Sutor 34 annorum phtyſi omni nota pituitoſa vltra biennium laborauit, contra quam communia ad mala pectoris remedia, linctus mellitos decoctaque emollientia adhibuit, caeterum ſuis laboribus vacauit.

6ta Maii 1781 corripitur ſubito dolore Iſchiadico cruris ſiniſtri ſummo, cum febre multa, exacerbationibus et febris et dolorum nocturnis, deleto adpetitu, amaritie ac foeditate oris, et conticeſcentibus tunc temporis omnibus ſymptomatibus ipſius phtyſeos perfecte adeo, vt nec tuſſicula ſupereſſet; haec ſic continuarunt, per vices melius iam peius habendo per quatuor ſeptimanas, tandem noſocomium ingreſſus eſt 4ta Iunii, vbi illum intenſe febricitantem plurimoque dolore in crure ſiniſtro externo adfectum inuenimus, adpetitu caruit, lingua mucoſa ac flaua fuit, ac exacerbatio no-

nocturna intenſa erat; ob vim febris ſummam ac duritiem pulſuum validam vena ſecabatur ad vnc. viij. et miſt. ſal. miris et decoct. reſoluens praeſcribebatur, indeque adeo in melius profecit, vt febris intra triduum omnis euaneſceret, aluoque pluries deſcendente omnes notae adſectarum primarum viarum diſparerent, remaneret autem fixus in coxa dolor, qui praeſertim adtractionem foemoris non pateretur: in loco adfecto nec rubor nec tumor, nec quidquam aliud praeternaturale adparuit. Poſt triduum febris denuo rediit cum omnibus ſignis ſaburrae primarum viarum, vnde poſt ſoluentia praemiſſa emeticum datum fuit, a quo multa viſcida bilioſaque euomuit cum euaneſcentia febris perfecta, ſed non mutato dolore Iſchiadico. Dabatur decoct. flor. arnicae et ſtip. dulcoamarae, et adplicatum Cotuniana methodo veſicans, ſed incaſſum omnia, quin 14ta Iunii ſubito euanidis doloribus pectus obprimebatur cum tuſſi violenta, ſicca, dolorifica, febri validiſſima, pulſu duro vibrante, nulliſque ſignis ſaburrae. Vena ſecta, datoque potu emolliente, ceſſit pectore malum, et rediit dolor in crure, qui ex eo tamen tempore aliquoties de crure ſiniſtro in dextrum, et viciſſim migrabat, febre tamen continuo vrgente, quotidie veſperae horrore et calore exacerbata, noctibusque ob ſummam ferociam dolorum ſub vſu quoque opii inſomnibus. Externe tamen in vniuerſo foemore ac crure nil plane morboſi detegere erat, conſumtio cor-

poris

poris notabilis non fiebat, caeteraque omnia naturalia erant. Acceſſit per vices vrgens ex infimo ventre per totum corpus vagus dolor cum aegritudine, miſerum fere obprimente, alnoque tarda adeo, vt quotidie clysmate ſollicitanda foret; clysmatibus his iisdem emollientibus ceſſit quoque ille dolor abdominis, ſed ſucceſſit dolor plurimus brachiorum ſub motu praeſertim, qui iterum a veſicante ad nucham dato diſparuit, ſed ad crura vagabatur, et ſub exacerbationibus nocturnis aſperrimis per aliquot noctes delirium, tandem conuulſiones, ſoporem apoplecticum ac mortem inferebat. Vltimis his diebus vrina mingebatur praerubra, ſedimento puriformi ſcatens.

Cadauer 20 poſt mortem horis exenteratum, ſequentia exhibuit: dura mater caeruleſcebat, vaſisque plurimis rubris diſtinguebatur, in interna facie ſanguine extravaſato obfuſa erat, praeſertim circa oſſa frontalia ac temporalia, ſanguis is tres formauit membranas ſpurias, quarum intima proxime tangens piam tremula pellucida mollis, ſecunda ſincere alba tenacior, tertia ex cruore exſiccato dimidia fere linea craſſa, firmiterque adeo durae matri adnexa erat, vt tantum cultro abradi a dura potuerit, quae ipſa in ſua ſubſtantia craſſior, duriorque erat.

Inter duram et piam copioſum ſerum flauum effuſum inueniebatur. Pia mater naturalis, cerebri ſubſtantia nonnil mollior, ventriculi exigui et vacui fuerunt.

In

In fundo binorum loborum anteriorum et nonnil copioſior et recentior inueniebatur ſanguis effuſus.

In pectoris latere ſiniſtro ad libr. j. *ß* effuſum inueniebatur ſerum flauum ac tenue, pulmonesque ambo, maxime autem dexter elegantiſſime maculis exiguis caeruleis rubris ac albis, marmoris pretioſi adinſtar variegatus fuit, diſciſſi pulmones ſerum plurimum ſpumoſiſſimum, et plura puncta purulenta fundebant, ac vndique glandulis induratis milii grani ad magnitudinem hirti ac aſperi erant, nullibi tamen vlcus aut abſceſſum monſtrabant, ſi in pulmone dextro excipias tuberculum ſat magnum, quod ſanguinem diſſolutum ac ſubfuſcum continuit. In pericardio vnciae aliquot ſeri, in cordis ambobus ventriculis ſanguis copioſus diſſolutus fuit. Tandem ad abdomen deuenientes omentum naturale, ſed ſub omento vniuerſa inteſtina ſimili, vti interna facies durae matris pſeudomembrana obueſtita erant, quam tamen facillime ab iis detrahere potuimus, et ſub qua in multis locis ſerum flauiſſimum latebat, meſenterium naturale, inteſtina ipſa praeternaturaliter flauentia, hepar ac lien ſanum, veſicula autem fellea bile ex flauo rubra quam maxime turgebat.

Exemptis omnibus viſceribus abdominis, vt ſucceſſiue ad ſedem mali illius truculenti in foemore percepti deueniremus, adparuit, quod ea pars peritonaei, quae faciem internam regionum iliacarum inueſtit, ruberrima et plu-

rima

rima pſeudocellulofitate incraſſata in puluinaris mollis volumen intumuerit, in hac autem pſeudocellulofitate partim ſanguis grumoſus, partim ſerum flauiſſimum ſtagnabat, idque longe magis in latere ſiniſtro quam dextro. Ablato peritonaeo glandulae iliacae ingentes tres adparuerunt, quarum binae magnitudinem oui columbini habentes, liuidae, molles ſanguinem pultaceum, rubrofuſcum continebant, media albens dura nil continuit. Muſculi pſoas, quadratus et iliacus internus corrupti adeo fuerunt, vt coloris carnei loco liuidi ac plumbei eſſent, mollesque adeo, vt ad leuem etiam preſſionem in pultem liuidofuſcam contererentur. Purulenti autem nil inueniebatur.

Caſus certe hic plurima docet, nonne inde analogia, aut vt melius me exprimam, identitas materiae, quae pus dicitur, quae pſeudomembranas format, et lymphae dictae coagulabilis probatur quam elegantiſſime? Phtyſi laborauit hic homo per biennium, ſputaque purulenta eiecit, mutatur mali facies. non natura, et eadem materies, quae antea forma puris ad pulmones deponebatur, nunc ad celluloſam peritonaei in infimo ventre deponi incepit forma pſeudomembranae inducens faciem Iſchiadis, cuius autem ſedes non in neruo Iſchiadico, ſed in muſculo pſoas, iliaco et quadrato fuerit. Vagatur haec materies inopinatim iterum ad pectus, et triſtiſſima producit ſymptomata, donec priorem in ventre locum occupans, pectus liberum denuo redderet,

retur, ſed vagatur eadem materies, aut forſan noua a ſanguine deponebatur ad crus dextrum, tandem ad encephalon, delirium, conuulſiones mortemque caroſam inducens.

Vnde autem iam ea oritur in nonnullis hominibus huius lymphae a ſanguine facilis ſeceſſus? et ſi nec V. S., nec emollientia, nec antiphlogiſtica, nec antiſeptica, nec adſtringentia, nec ſtimulantia, nec cuiusque alterius nominis et naturae medicamenta hanc ſeparabilitatem lymphae coagulabilis a reliquo ſanguine impedire valent, vti innumera exempla phtyſicorum ſimilium edocent, qualis iam his in caſibus adhibenda eſt medella?

Vidi ſaepe ſaburram pituitoſo bilioſam primarum viarum huius ſeparabilitatis cauſſam V. Sbus, antiphlog. roborantibus &c. &c. auctam, ſola frequenti catharſi *ανω* et *κατω* facta domatam aut imminutam ſaltem; an ergo ſemper talem cauſſam latitare credibile foret? hoc in caſu quid ſimile ſubfuiſſe docet flauus nimium color ſeri, vndique effuſi, bilisque cyſticae copia, et manifeſta corruptio.

Muſculorum illorum internorum corruptela eiusdem certo fuit originis, et ex eadem familia eſſe plurimas illas lumbagines Iſchiadesque ſuppuratione indomabili earum partium finientes, facile credo, cum rationem neſcirem alias, cur recte horum abſceſſuum inſanabilitas tanta foret, quae in aliis ſubpurationibus ex inflammatione vera oriundis obſeruare non ſit. Caeterum ſimilem

L cor-

corruptionem muſculi Pſoas in viro ignoto et mortuo inuento obſeruauit doctiſſimus Iſenflam in praktiſchen Anmerkungen über die Muskeln §. 160., et iam olim Hyppocrates Epidem. lib. V. textu V.

SECTIO V.

Rarus morbus pectoris.

Iuuenis aurifaber 18 annorum a ſocio ſub rixis pectore ſiniſtro percutitur violentia magna, et inſtrumento ferreo ſed obtuſo adeo, vt nullum factum fuerit inde vulnus, vnde etiam rem celauit per quinque ſeptimanas, vt-ut obtuſum aliquem ſemper in eo loco perciperet dolorem, ac aliquem nucis iuglandis magnitudine tumorem inter coſtam quartam et quintam veram. Sed hoc tempore dyſpnoea acceſſit ad motum corporis praeſertim vrgens cum febre, indeque auxilium quaerere coactus, acceſſit chyrurgum, qui venam ſecuit, et cum quotidianos veſpertinos haberet horrores ac calores, cum nocturnis ſudoribus, tuſſimque multam ſiccam, faciemque caehecticam adplicata fuerunt varia cataplasmata emollientia maturantia ſine leuamine, auctis econtra ſymptomatibus omnibus indies.

1ma Februarii, 6ta a contuſione illa exeunte ſeptimana noſocomium ingreſſus fuit, et examinatus praeter priora retulit ſe nunquam in tumore illo pulſationem percepiſſe,

nec

nec dolorem alium, quum obtuſum valde, tumorem illum eadem ſemper ab initio iam fuiſſe magnitudine, ſed duriorem quam nunc ſit, febrim illam hecticam ſeſe a tribus iam percipere ſeptimanis, ac moleſtias maximas naſci a difficultate reſpirii diu noctuque vrgente, et a palpitatione cordis valida dextro in latere ſentienda. Inquirens, video reuera a longe iam, pulſans in dextro perfecte latere cor, vt poſteriorem eo in latere ſitum occupare cor videremus, quam in ſtatu naturali ſiniſtro in latere occupare ſolet, dixitque aeger ſe neſcire, num ſemper ibi cor pulſauerit, cum ſanus ad id non adtenderit, ex eo autem tempore, quo moleſtam hanc palpitationem percipit, ſemper illam eo in latere perceptam fuiſſe. Inquirens in tumorem video eum farciminis adinſtar inter praedictas coſtas veras ad quatuor pollicum longitudinem ſternum verſus protuberare, eumque colore rubello, ſubmollem non pulſantem quique totus reprimi potuerat, et quomodocunque preſſus nullum dolorem, nullam anxietatem, nullam tuſſim inferebat aegro, fluctuatio nulla in tumore adparuit, et nec ſub altiore inſpiratione, nec ſub tuſſi tumoris moles augebatur, aut pulſatio percipiebatur. Praeterea aeger fuit facie pallidus, palpebris ſuboedematoſis, carne muſculoſa flaccida, calens praeternaturaliter, ac iugulo ſubſudans continuo: iacere difficilius, difficillime in latere dextro poteſt ob tuſſim et anxietates, quae tamen etiam ſedenti ac quieſcenti continuae ſunt cum

 re-

reſpiratione frequenti, eleuatiore thorace ac maxime latere dextro peracta, quieſcente fere ſiniſtro thoracis latere, quod tamen vniuerſim altius longe, dextrum autem compreſſius comparebat, tuſſis non violenta, ſed perfrequens ac ſicciſſima, pulſus celeres fortes, duri, aequaliſſimi, et in manu ſiniſtra ſimillimi illis, in manu dextra, venam ſecari impero, potum fotumque emollientiſſimum ordino.

Durant haec per triduum, quo exacerbationes illas veſpertinas, cum horrore, calore, ſiti, anxietate, tuſſi, ac nocturnis profuſis ſudoribus adcurate obſeruo, et quo tumor in mucronem aliquem molliorem eleuari, ibique fluctuatio formari incipiebat.

4ta Februarii in conſilium duxi clariſſ. Chyrurgiae Profeſſorem Arnold, et conſideratis omnibus, praeſertim hac die manifeſtiorem in tumore fluctuationem percipientes ad paracenteſin pectoris deueniendum decreuimus, quam etiam praedictus clariſſ. Profeſſor ipſe faciebat.

Operatione facta nil puris effluxit, ſed paucum quid ſanguinis grumoſi. Chyrurgus digito explorans vulnus, laxam aliquam celluloſitatem, quae digito molliſſime circumducto vndique aranearum adinſtar telae cederet, inuenit, educto digito ex vulnere noua aliqua portio ſanguinis grumoſi non foetentis, et ſub tuſſi, quam aeger producere monebatur, aliqualis adhuc ſimilis ſanguinis copia profluxit, vt vniuerſim vncias circiter iij. ſanguinis huius edu-

eduxiſſemus. Aeger ſe nonnil leuatum inde credebat, bonoque fuit animo ſperans operatione morbum auferendum fore; deligabatur vulnus laxe, ac idem ſuperimpoſitum fuit cataplasma emolliens.

Veſperae exacerbatio rediit priſtina, cum ſudore nocturno et tuſſi prima vice producente ſputa purulenta, ſed non foetentia, e vulnere autem nec gutta profluxit.

5ta Februarii iniectio in vulnus imperabatur ex decocto hordei cum exigua doſi melis, exigua autem tantum copia liquoris intrauit, et liquor ſanguine tinctus veſperae integer rediit. Cum Chyrurgus digito profunditatem illius celluloſae ſubſtantiae emetiri non poſſet, ſonda obtuſa id tentatum fuit, et noſtro ſtupore ad quatuor pollicum vsque longitudinem immerſa vix reſiſtentiam inuenit, ſed vndique liberam inuenit viam nullo fluente humore. Iniectio repetebatur, ac decoct. Corticis peruv. cum oxymele porrigebatur. Veſpertina exacerbatio eadem cum ſudore profuſo et ſputis ſat copioſis purulentis.

6ta Februarii debiliſſimum ſe experiebatur pulſu tamen ſat forti duro aequali, tuſſit fortius ac cum ſtrepitu, ſputa autem difficilius eiiciuntur, calet, ſitit, prima vice non adpetit, ſed ſaporem foetidum ore percipit, e vulnere nil fluxit, et dyſpnoea aucta, anxietate creſcente, pulſu facto celerrimo hora ter-

tia

tia nocturna moriebatur ſine ſtertore ſine conuulſione placide.

Inſtituta fuit 24 poſt mortem horis praeſentibus Clariſſimis D. Prochaska Anatomiae et D. Arnold Chyrurgiae Profeſſoribus, et frequenti coetu ſtudioſorum anatome.

Externe ſanguis ex naribus profluxerat, facies tumidula ac rubens erat, aequalisque nunc amborum laterum thoracis altitudo. Denuo explorabatur ſonda vulnus, et in omnem dimenſionem leuiſſima vi ad profunditatem quatuor pollicum immergi potuit, hoc experimento facto cutis ſeparabatur, ac ea ſeparata muſculi intercoſtales 4tae et 5tae, 5tae et ſextae coſtae toti ſanguine grumoſo offuſi, et in vniuerſa ſua celluloſa ſimili ſanguine ſubfuſi inueniebantur, et ex vulnere operatione facta prorupit aër foetens cum aqua ſanguinolenta et ſtrepitu.

Limbi coſtae quintae, et ſextae, quintae et quartae carie exeſi aſperi erant. Ablato ſterno conſpiciebatur ſaccus pleurae ſiniſter longe vltra latitudinem ſterni in cauum thoracis dextrum prominens, detruſo mediaſtino in hoc latus dextrum vltra vnam tertiam totius caui, colorisque profunde purpurei, et molliſſimae ac marcidae ſubſtantiae: ſeparata pleura pulmonis loco inueniebatur ſanguis grumoſus foetidus niger in pſeudocelluloſitate plurima hinc inde ſat tenaci ſtagnans, multisque grumulis albis omni nota externa purulentis commiſtus, quique manibus exem-

ptus,

ptus, fibroſam ſuam exhibuit formam, ac facile libras viij. efficiebat. Toto cauo thoracis hoc modo euacuato in poſteriore ac ſuperiore facie thoracis tandem inueniebatur pulmo in membranam carneam ac pallidam complanatus, in quo nec lobulos amplius nec fabricam pulmonum diſtinguere potuerimus. Ob confuſionem autem omnium partium, vas vnde haec haemorrhagia orta fuerit, detegere non potuimus.

Mediaſtinum ipſum latius ac amplius longe erat, ac apertum in ſpatio ſuo ſuperiore multa purulenta, in pericardio autem copioſum ſerum flauum continuit. Cordis mole exigui ac multa pinguedine obfuſi ſitus is erat, vt tribus pollicibus a medietate ſterni remotum in latere dextro iaceret.

Pulmo dexter longe minor naturali, et adcretus firmiſſime erat vniuerſae pleurae, mediaſtino et diaphragmati, conſtitutionem autem naturalem nihilque obſtructi aut purulenti habebat.

Hepar ingens volumine ſuo lienem vsque pertingebat, ſanae tamen quoad reliquos ſenſus conſtitutionis.

Omnia reliqua in abdomine ſaniſſima, Encephalon apertum non fuit.

Valde ergo in diagnoſi mea empyema ſuſpicatus, deluſus fui, ſed non irrationabiliter puto. Quis enim tantam effuſionem ſanguinis ſuboleuiſſet, quis vnquam talem effuſionem ſucceſſiue ac lente ita factam vidit,

ad-

adnotauit, aut adnotatam legit? in vulneribus pectoris talia quidem contingere ſcio, ſed non intra ſex ſeptimanas, ſed intra paucas horas, ſed vulnus hic nullum factum fuit, et ſucceſſiuum augmentum omnium ſymptomaton etiam hanc effuſionem ſucceſſiue factam fuiſſe euincit clariſſime. Et quis ex habitu corporis, faciei conſpectu, febre hectica, ſudoribus nocturnis, tuſſi ſicca, impoſſibili in latere dextro decubitu, reliquisque ſymptomatibus hunc caſum legendo non aeque ac ego videndo ad Empyema concluſiſſet? cuius Empyematis certo medella nulla, niſi operatio chyrurgica. Optimum quod eſt, aegro ſine operatione aeque certo ac probabilius aeque cito pereundum fuiſſe, ac operatione facta. Cur autem etiam ſub operatione nil puris, ſed grumoſum tantum ſanguinem adepti de diagnoſi noſtra nondum deſperauimus, cauſſa eſt, quia pluries accidere ſcio, et ipſe Viennae vidi, vt in abſceſſibus etiam externis maniſeſtiſſimis ſub operatione nil conſpicuum fiat puris, ſed duodecim aut pluribus dein primo horis prorumpat, quod etiam hic poſſibile fore nobis impoſuit ea intra vulnus inuenta celluloſa quam credebamus effluxum puris impedire.

Caeterum ex hoc caſu iterum videmus originem pſeudomembranarum, pſeudocelluloſae et materiei puriformis ac purulentae eandem iterum eſſe, lympham nempe coagulabilem, puriformis enim materia fuit in me-

diaſtino

diaſtino ſine vlcere, in informi illo glomere ſanguinis grumoſi, et pus vltimo biduo tuſſi eiiciebatur, nullo tamen vndique adparente vlcere.

Quanto ergo eſt Chyrurgia certior arte medica?

Ad reſoluendum hoc problema binos alios caſus chyrurgicos nunc ſubiungo.

SECTIO VI.

Hernia incarcerata.

Homo triginta ſex annorum, toroſus, robuſtiſſimus, duris laboribus adſuetus, ſemperque ſaniſſimus ab aliquot tamen annis hernia inguinali laborauit iam prodeunte, iam redeunte ſine multo tamen vnquam dolore aut alio incommodo.

Is 28ua Iunii 1780 ad meridiem ſub labore duro denuo herniae prolapſum patiebatur, ſed cum doloribus plurimis illico ac anxietatibus grauiſſimis, vnde prima iam hora mali in noſocomium confugit, ſed cum vacuus mihi nullus eſſet locus in lectos magni noſocomii deponebatur, egoque ſpectatorem tantum agebam, hora 4ta pomeridiana illum videns, inveni ſcrotum capitis infantilis magnitudine non durum, ſed elaſticum, non rubens cum dolore tamen ingenti, ab attactu etiam leuiſſimo aucto, pulſum naturalem, anxietates ingentes et continuos niſus in

vo-

vomitum. Quae acta aut praeſcripta fuerint, neſcio, niſi quod aeger ipſe manibus tumorem continuo nonnil verſus annulum repreſſerit, vena ſecta et clysmata iniecta fuerint.

Noctu dolores imminuti fuerunt, et mane vidi herniae tumorem ad medietatem minorem, ac flaccidum mollemque multum, vomitus tamen continuat, et a clysmatibus aluus nulla, pulſus fere euaneſcens, extrema frigidiuſcula, iactitatio corporis multa, ſitis maxima.

Veſperae herniam validiſſime intumuiſſe video, cum duritie inſigni, colore purpureo, vociferatione deſperabunda, aſphnxia ac frigore extremorum, hora 10ma moriebatur.

Aſſumſi cadauer in Anatomem, vt dexterrimo tunc Medicinae Candidato, ac Anatomiae practici Collegii proſectori, nunc Doctori ac artis veterinariae denominato hic Pragae Profeſſori Domino Knobloch occaſionem praeberem, qua herniotomiam exercere poſſet. Anatome inſtituebatur 15 a morte horis.

Cadauer faciem terribiliter toruam ac liuidam, et ore naribusque profluente ſanguine tenui obfuſam exhibuit, vniuerſum abdomen liuidum, durum, contractum fuit, et circa vmbilicum veſiculam gangraenoſam nucis auellanae magnitudine, ſanguineque ichoroſo plenam habuit.

Saccus

Saccus ipſe hernioſus capitis infantilis magnitudine, purpureo liuidus ad leuem adtactum mollis ac elaſticus, ad fortiorem preſſionem praedurus, non ſolum ſiniſtrum ſed etiam dextrum ſcrotum obplebat.

Diſciſſa leui manu cute ſcroti externa, aliquid liquoris ſeroſi cum aëre elaſtico foetido prorupit, vnde tumoris moles nonnil minuebatur, cutisque externa tenſa adeo nunc flacceſcebat. Semotis a peritonaeo tegūmentis externis, detegebatur ipſe ſaccus hernioſus duriſſimus coloris liuidi, ac tenſus adeo, vt ad inciſionem faciendam digitis arripi aut forcipe eleuari non potuerit, fiebat ergo ſuſpenſa manu exigua in peritonaeum inciſio, per quam autem illico aër elaſticus foetens vi ac impetu prorupit, vt inteſtinum laeſum crederemus, ſed ſucceſſit illico ſanguis foetidus, diſſolutus, ſubfuſcus, copioſus adeo, vt libram j. ß ſaltem aequaret, diſcindebatur igitur peritonaeum iuxta integram longitudinem ſacci hernioſi ad annulum verſus vsque, et nulla in vniuerſo ſacco inueniebatur aut omenti aut inteſtinorum portio, ſed teſtis eius lateris naturalis quidem magnitudinis ſed inflammatiſſimus erat, ac vniuerſa celluloſa ſcroti, quin ipſius quoque funiculi ſpermatici emphyſemate turgebat. Dum ad annulum deuentum eſt, inciſione facta, ſimilis ſanguinis diſſoluti copia cum multo aëre elaſtico prorupit, et in annulo exigua vix pollicis latitudinem

lon-

longitudine aequans portio inteſtini ilei inclauata ac caeruleopurpurea inueniebatur: inteſtina tenuia omnia diſtenta adeo, vt eandem eum colore haberent latitudinem. Duodenum colon naturale, ieiunum inflammatiſſimum. Ileon autem vniuerſum purpureo liuidum, nullibi autem diſruptum aut laeſum, et inteſtina diſciſſa a medio ieiuno ad caecum vsque ſanguinem copioſiſſimum foecibus commiſtum ac diſſolutum etiam continebant, ventriculus autem et duodenum praeſlauam ac foeculentam materiem habuerunt. Meſenterium hincinde inflammatum quidem, ſed plurimis in locis albedine ſincera cartilaginum in modum reſplendebat, craſſum etiam adeo, vt circa radicem, pollicis craſſitiem exaequaret, diſciſſum nil niſi celluloſam fortiorem duriorem adipe et aëre elaſtico ſcatentem exhibuit.

Hepar, ventriculus in pectus retruſa a mole inteſtinorum, caeterum ſana.

In fundo ventris omnia ſimili ſanguine diſſoluto plena erant, vt facile librae iij. huius cruoris in cauo abdominis fuerint.

Inquirentes ſtudio in vaſa abdominis, maiora omnia illaeſa inueniebamus.

Rediuimus ad ſcrotum, cum, vti dixeram dextrum ſcrotum aeque tumuerit ac ſiniſtrum, viſuri quidnam ibidem foret notandum, inuenimus totam celluloſam ſcroti dextri ſimili emphyſemate turgentem, vti in latere ſiniſtro, teſtem naturalem, funiculum

ſper-

ſpermaticum quoque emphyſemate turgentem, nihilque plane hernioſi.

Qui hoc in caſu ad herniotomiam confugiſſet, et herniae loco tantam ſanguinis copiam inueniſſet tremente certo manu fallaciam morborum etiam chyrurgicorum agnouiſſet. Herniae tamen incarceratae ſigna manifeſtiſſima adfuiſſe, quis non videt? eamque actu praeſentem docuit anatome, ſed tumorem illum ſcroti ſimul cum ſymptomatibus herniae ortum increſcentem ab alia cauſſa, quam ab ipſa hernia productum, quis acutiſſimae etiam naris ſuſpicatus fuiſſet? iam ab initio illico tumorem ſcroti ab hac ortum echymoſi ſequentibus ex rationibus credo, quia impoſſibile fuiſſet, vt niſi haec effuſio diuturnior quam ſub morte facta eſſet, ut eum gradum putredinis locis clauſis, et intra 16 horarum ſpatium acquiſiuiſſet, quo aëris elaſtici ac ex humoribus eliberati copia maxima et tantus foetor inueniri potuerit, ſecundo quia et in inteſtinis et abdomine idem ſanguis inuentus fuerit, et tertio, quia ſanguis is in ſaccum hernioſum intrare non potuiſſet, ſi tumor ille ſub morbo ab inteſtinis prolapſis ortus fuiſſet.

Sed quaeſtio altera maximi momenti eſt, vndenam ea violenta ſanguinis extra vaſa effuſio orta fuerit? mihi credibile eſt, id ex vera diſſolutione putrida ſanguinis proueniſſe, cum non ſolum haec effuſio in cauum ſacci hernioſi, in abdomen, ſed etiam in ipſa inte-

ſtina

ſtina facta fuerit, cum violentiſſimus mali progreſſus plus quam ſolam incarcerationem herniae adfuiſſe teſtetur, et cum denique citus is effuſi ſanguinis foetor, et gangraenoſa in ventre externo bulla, et facies vniuerſa effluente ex naribus diſſoluto ſanguine foeda non paruum probabilitatis gradum praebeant: num autem febris haec oriens putrida, cauſſa, an effectus incarcerationis fuerit, difficile dictu eſt, cum et vnum et alterum aeque poſſibile ſit, ſpasmos enim et inflammationem ſaepe incarcerationem producere; ſaepius adhuc ab incarceratione produci ſaepius obſeruatum, ac veriſſime ab Illuſtri Richter edoctum fuit, ſed et febrem ſummam bilioſam ab incarceratione ortam, et viciſſim incarcerationem a febre valida bilioſa productam obſeruaui, ac diſcipulis monſtraui, et hic demum caſus incarceratam herniam cum febre putrida coniunctam exhibet, vt ergo diuerſitas medellae in hernia incarcerata varia, maxima certo ſit, ac inde explicare valeamus, cur a nonnullis practicorum emeticum integra etiam doſi ſub hernia incarcerata datum fuerit, idque felici euentu.

Quinque hernia incarcerata laborantes habuimus, vnico ob tempus adhuc fauens operationem inſtituimus, nullum ſaluare potuimus, quamuis in iuuene hernia incarcerata cum febre bilioſa laborante, et operationem admittere nolente, per hypecacuanham datam cum cremore tartari, vt bis aut ter de die

bilem

bilem viridiſſimam vomeret, mortem in decimam tertiam vsque incarcerationis diem diſtulerimus.

SECTIO VII.

Triſmus ab operatione ſteatomatis in inguine.

Iuuenis 20 annorum a nouem annis in inguine dextro tumorem glanduloſum durum, renitentem, non dolentem, mobilem ſola cute tectum, et ſucceſſu temporis in longitudinem 6, latitudinem 2 cum ½ et altitudinem 1 cum ½ pollice excreſcentem geſſit ſine alio incommodo, niſi quod motum eius cruris impediret nonnil ex eo tempore, quo in tantam molem excreuerat. Cum mobilis perfecte ac nullibi demiſſis radicibus fixus adpareret tumor, cutis ipſa concolor eſſet ac naturalis, 20ma Iulii ad operationem deuentum eſt, quae etiam facili labore inciſione in cutem transuerſali ab annulo abdominali ad regionem pubis verſus facta, ac fibris celluloſis, quibus cum cute et ſubiacente aponeuroſi laxe cohaerebat, digitorum ope ſeparatis, feliciter, cito ac faciliter adeo peragebatur, vt patiens ſub operatione cantaret, rideretque. Haemorrhagia exigua ſecuta eſt, ac tumor cartilagineoſteatomatoſus libram fere pendens, non folliculoſus operatione hac enucleatus fuit.

Veſperae

Veſperae eiusdem diei haemorrhagia ſecuta eſt, quae facili tamen negotio aqua frigida cum exigua doſi ſpiritus vini commiſta ſiſtebatur.

Tertia ab operatione die vulnus pulcerrime ſubpurare caepit, aegerque quoad omnia optime habuit.

4ta die ſubpuratio optimae notae, cum aliquo ſed non valido dolore in vulnere, caeterisque omnibus optimis, ſed veſperae aeger difficultatem in ore aperiendo percipit, ac inquiete dormit.

5ta die vulneris facies et pus optima, ſed adtrahitur maxilla inferior nonnil fortius ad ſuperiorem, vt tantum ad exiguam rimam os aperire valeret aeger, febricitauit inſimul pulſu celeri contracto, exhibet medicus ac chyrurgus opium, ac venam ſecuit ſine leuamine, ſanguis V. Snis cruſtam phlogiſticam cum flauedine inſigni gerebat.

Noctu ſubſoporoſus ab opio aeger, plurimum circumiactabat ſe, et os aperire plane non potuit.

6ta ab operatione die ego et Clariſſ. chyrurgiae Profeſſor in conſilium petiti, aegrum facie tota turgentem et rubentem ſumme ſitientem, ſed aſſumere nequientem, ac ſubporoſum inuenimus, pulſum celerem contractum durum, vulnus autem naturale ac optimum pus fundens; audiuimus praeterea de oris amarore conqueri aegrum et veſpertinis quotidianis exacerbationibus. Venam ſecamus,

ac

ac denuo ſanguinem cum cruſta phlogiſtica, ſed ſumme flauente ipſa et ſero extrahimus, repetimus V. Snem illico, praeſcribimusque crem. tart. emetici gr. ix. in ſolutione per dentem eruptum ſucceſſiue ingerenda, donec vomeret, ac vulneri cataplasma emolliens adplicamus.

Ingeſta fuit vniuerſa emetici doſis, ſine vt vomuerit guttam, ſed bis tantum inde purgatus fuit, ac nocte tarda caroſus factus, moriebatur.

In cadauere vniuerſum vulnus denuo exactiſſime inquiſitum, nullibi quid laeſi in aponeuroſi aut funiculo ſpermatico exhibuit. Vaſa encephali ſanguine infarcta, pectus naturale, ſed ventriculus ac inteſtina ſphacelata, plurimaque foeda bile offuſa, veſicula fellea bile copioſiſſima turgens inueniebatur.

Quam ſaepe febres epidemicae in operationibus chyrurgicis feliciſſimis turbas maximas ac infeliciſſimum producant euentum, multoties obſeruatum et dictum fuit, et hocce caſu confirmatur: fuit enim operatio leuiſſima certo, cum ſola cutis diſcinderetur, periodos ſuas abſoluebat vulnus optime, et ſucceſſit tamen 7ma ab operatione die mors. Docemur quoque exinde, quid ponderis eae obſeruationes, vbi conuulſionum tam partialium, quam vniuerſalium ac mortis ipſius in operationibus chyrurgicis ſaepe inopinatim obuenientis cauſſa vnice in laeſum aut ligatum ſtrictumve neruum

 reiicitur,

reiicitur, cum in hoc caſu nec laeſi nec ligati nerui quidquam ſubſit.

SECTIO VIII.

Hominis, qui ex melancholia ſe ipſum ſubmerſit.

Vir 50 aliquot annorum doctiſſimus, qui ex multis perpeſſis aerumnis ſumme melancholicus, ac ex nimio ſtudio tandem Maniacus factus fuit, 11ma Martii ſummo mane vxorem familiamque deſerit, longo tempore in Eccleſia ſe detinet, ac tandem hora circiter ſeptima matutina in Moldauam ſe praecipitat. Rapitur flumine ibidem vallidiore ad diſtantiam circiter ſexcentorum pedum, ibidemque a piſcatoribus pro mortuo extrahitur.

Accurit paullopoſt ad me diligentiſſimus ac meliore ſanitate dignus Medicinae ſtudioſus Ioannes Marvan, mihi haec nuntiaturus, cui mando, vt illico in noſocomium noſtrum a loco vbi expiſcatus fuerat, vix centum pedibus diſtans, miſerum portari faciat, ego directe in noſocomium curo.

Adueniens in noſocomium audio piſcatorem extradere nolle miſerum, vnde ipſe illum adeo, nullaque perſuaſione, precibus aut minis a piſcibus inſenſiliore piſcatore obtinere potui, vt hominem circa pectoralia adhuc

huc calentem ac forſan ſaluandum mihi traderet, donec tandem integro bihorio elapſo vi illum eripi curauerim.

Tentata omnia artis auxilia longiſſimo tempore, ſed incaſſum: fruſtrabatur labor effectu, qui, ſi binis horis citius auxilia adhiberi potuiſſent, eo magis bonus ſperandus fuiſſet, quo breuiore temporis ſpatio aqua merſus fuerat, idque tempore frigido, et quo extractus aqua a ſtudioſo toto adhuc corpore, a me circa pectoralia calens adhucdum inueniebatur.

24 a morte horis cadauer luſtrauimus, et ſequentia inuenimus.

Olla Cranii proportione habita ad oſſa reliqui corporis craſſior longe, et cum hac craſſitie mollior longe naturali fuerat.

Dura mater et pia vaſis omnibus turgebant non ſolum, ſed elegantiſſimae iniectionis adinſtar ad minimos vsque ramos vaſa in illis rubra conſpiciebantur. Inter duram et piam matrem ſerum aliquod flauum, et grumuli aliqui millii ſeminibus ſimiles molles albi, puriformes viſebantur. In ſinubus durae matris nulla praeternaturalis ſanguinis collectio erat.

Subſtantia cerebri a naturali plurimum abludebat, non ſolum enim plurimis vaſis rubris vndique diſtincta fuit, ſed tenacitate tali praeternaturali praedita, vt ſciſſum in talleolos cerebrum ſeſe corii mollis elaſtici adinſtar in longitudinem extendi notabilem paſſum fuerit, donec tandem rumperetur, vniuerſimque ſolliditatem paſtae illi, quam pharmacopaei ex farina rad. Altheae parant, ſimilem haberet. Praeterea color corticis cerebralis profundior, medullae flauens fuit.

In ventriculis cerebri nullum ſerum, et plexus choroidei naturales erant.

Glandula pinealis dura et valde exigua notabatur.

Cerebelli vniuerſim minor fuit a ſtatu naturali alienatio quam cerebri.

Glandula Thyroidea in voluminoſam ſtrumam extenſa inueniebatur, glandula Thymus autem naturalis.

Pulmones in thorace ampliſſimo liberrimi ſani, ſed diſciſſi copioſiſſimam ſpumam fundebant, qua eadem ſpuma et bronchia et ipſa turgebat trachaea.

Circa

Circa cor et vaſa maiora nil praeternaturalis fuit rei.

In abdomine ventriculus aqua turbida, qualis tunc Moldauae fuit, turgidiſſimus, quin ipſa inteſtina tenuia non vacua hac aqua inueniebantur, caeterum naturalia.

Hepar colore ſubliuidum ac praedurum fuit, caetera omnia in abdomine naturalia.

Pulchra certe phaenomena ipſius Maniae, et ipſius ſubmerſionis hoc in cadauere viſebantur, quid enim durum illud ac rigidum cerebrum, durum illud ac liuidum hepar aliud poterant, quam operationes mentis, varie turbare ac confundere? quae mentis turbae miſerum coegerunt, vt ſolamen ſuorum malorum quaereret ſub aquis.

Turgens aqua pulmo, turgens aqua ventriculus de morte ſuffocatiua dubium nullum relinquunt, nam infarctum cum vaſorum caephalicorum partim qua cauſſam turbati ab aliquot diebus animi, et partim qua effectum ſuffocationis conſidero.

Caeterum

Caeterum facile capio vnde illa obſeruatorum orta fuerit differentia, quorum hi ſubmerſos ab aqua pulmonibus hauſta ſuffocatos, alii ab impedita reſpiratione apoplexia enectos aſſerunt, et obſeruationibus confirmant, nam vnum et alterum fieri poteſt, et fit, qui enim inopinatim aquae incidit, is vtique motu automatico reſpirationem quantum poſſibile cohibere, indeque periculum intrantis in pulmonis aquae euitare eousque conatur, donec aut ob cohibitam reſpirationem turgentia ſanguine vaſa cephalica oblitum ſui redderent miſerum ac motu tunc mechanico inſpiratio fatalis fiat, vel vaſa haec cephalica debiliora rupta, veram apoplexiam inducant. Qui autem ea intentione aqua ſe mergit, vt ſe interficiat, is tantam attentionem de non inſpirando non adhibebit, ac ſemper ſuffocatus peribit, quale et hic accidiſſe plura demonſtrant phaenomena.

Plures enim toto eo tempore, quo egebat noſter, vt flumine impetuoſo eam diſtantiam 600 pedum emetiretur, reſpirationem perfecte cohibere potuiſſent, ſine vt periculum apoplexiae inde ortum fuiſſet, et hic noſter exiguo hoc temporis ſpatio iam pro mortuo extrahitur, ſecundo vaſa cephalica turgentia quidem valde inueniebantur, ſed haec vtut turgentia vaſa in ſolidiſſimum hoc

ce-

cerebrum tantum premere vix poterant, vt inde ſuppreſſio functionum vitalium ſequi potuiſſet, demum turgentes aqua pulmones ſufficienter cauſſam mortis adeo celeris demonſtrarunt.

Effectum aëris fixi, qui ſub vſtione calcis liberatur, triſti exemplo obſeruare mihi contigit.

5ta Maii 1781 conthorales cum binis prolibus in anguſto valde cubili habitantes, matutino tempore mortui inueniuntur, et donec auxiliatrices illis adhiberentur manus, pro mortuis per aliquot horas relinquuntur, tandem viro, in quo adhuc aliqua vitae ſigna comparebant, vena ſecatur, frictiones fiunt, clysma ex infuſo herbae Tabacae iniicitur, ac in vitam reducitur, reliqui tres pro mortuis deſeruntur, luſtrantur, ac veneno aſſumto enecti pronuntiantur, maritus ſemiuiuus ad FF. miſericordiae defertur.

Ibi altera die inuenio illum ſenſibus externis et internis priuum, cum reſpiratione ſtertoroſa et rara, pulſu tardo ac duro, facie rubente et turgente. Cum de vniuerſis circum-

cumſtantiis caſus nil ſcirem, quam quod veneno enecti rumore omnium declarati fuiſſent, vitrioli albi dr. j. exhiberi curo, a qua autem nec vomuit, nec aluum habuit. Interea temporis a Perilluſtri ac amiciſſimo Domino Mikan, Chemiae et Botanices Profeſſore, etFacultatis noſtraeVicedirectore rem altius rimatam ſciſcitor, et audio, cubile anguſtiſſimum miſerorum horum hominum propinguum adeo furno vſtulatorio calcis viuae fuiſſe, vt paries vnus et furno et cubili proſpiceret, et cum calores hac nocte exceſſiui fuiſſent, et maritus ad mediam noctem vsque laboribus apud furnum occuparetur, portam, quae ad furni huius atria pertingit, apertam relictam, indeque factum eſſe, vt aër fixus ex lapide calcareo eliberatus per hanc portam in cubile intraret, binos infantes cum matre interficeret, maritum autem trihorio tardius aduenientem obrueret tantum, non obprimeret.

His conueniebat, quod ambo infantes et mater ordinatim, non disiectis membris, nec diſturbatis lecti ſtratis, nullo vomitu nec aluo foedatae inuentae fuerint, quod et maritus nullo ſingultu, vomitu, nulla conuulſione laboraret, indeque pro certo concluſi, vniuerſum malorum ab aëre fixo dependere, ac venam denuo ſecari, clysmata ſtimulantia cum ſpir. ſal. amon. iniici, cum eodem ſpiritu nares ac tempora fricari, ac miſturam hoc ſpiritu grauidam

ex-

exhiberi curo. Veſperae pulſus tardus, durus, reliquaque omnia eadem inuenta, cum ſanguine V. S. tenaciſſimo tertiam poſcebant V. S. et ſuris et nuchae veſicantia adplicabantur.

Sequente mane aeger nonnil liberius ac frequentius reſpirabat, pulſumque habuit celeriorem quoque.

Tota nocte ſoporoſus iacuit, ſtimulum veſicantium, quae magnas veſicas attraxerunt, non ſenſit, aluumque cum clysmatibus, ſui inſcius, in lectum miſit.

4ta mali dies ſub iisdem ſymptomatibus transacta fuit, niſi quod pulſus intermittentes hac die obſeruarentur, vnde in omnibus remediis doſis ſpiritus ſalis ammoniaci aucta fuit.

5ta die prima vice ad interrogata reſpondet, ſed perperam ac confuſe, faciei tumor remiſit, reſpiratio ac pulſus liberiores notabantur, ac etiamſi aluum et vrinam ad lectum denuo depoſuerit, huius tamen ſibi conſcius erat. A meridie melius ſibi praeſens de dolore ac ſtupore capitis et ſuſurru aurium conquaerebatur.

6ta die ipſe accuſabat debilitatem corporis maximam, cum dolore grauatiuo capitis et ſuſurru aurium, reſpiratio et pulſus praeter-

ternaturaliter celeres erant. Datur decoct. flor. Arnicae cum ſpir. ſal. amoniaci.

7ma morbi die de illis ſymptomatibus leuioribus, ſed de nouo dolore natum conquaeritur.

Conſpectae nates circa os coccygis rubram exhibuerunt plagam, cui emplaſt. album camphoratum adplicabatur, et ſuo decoct. flor. Arnicae continuabat.

8ua die plaga illa heri rubra, hodie perfecte gangraenoſa ac ſicca dura inuenitur, praeſcriptum ergo vnguentum de ſtyrace cum camphora, et cataplasma ex malua et Cicuta, interne decoct. flor. Arnicae addebatur rad. Arnicae vnc. ſemis.

9na bene adpetit, ac bene habet, nonniſi de dolore natum conquaeritur, quarum gangraena non aucta inuenitur. Continuatur remediis, et aeger ventri imponitur.

10. 11. 12. et 13tia ſat bene habuit, ac gangraenoſa plaga ſeparari, ac bonum pus praebere incipit.

14ta aluus ab heri nulla, venter tenſus ac dolens, adpetitus deletus, vrina rubra, pulſus celeres cum reſpiratione anhelosa, dolores capitis

pitis cum vertigine, ſingultus obſeruabantur. Iniiciebantur clysmata catharctica, et dabatur miſt. ſal. in dupla doſi.

15ta omnia eadem.

16ta aluus copioſa foetida, pultacea, ac omnium ſymptomaton leuamen, et 21ma morbi die ſanus valedixit.

Curſu ſcholaſtico a 5ta Nouembris anni 1779: ad initium Auguſti anni 1780 in meis octo lectis 118 aegros tractaui, quorum ſanati 100, inſanati abierunt duo, cum tympanithide et paralyſi crurum vnus, cum arthritide chronica alter, mortui ſunt 16, ex hernia incarcerata tres, ex malis chronicis capitis duo, ex phrenithide millioſa vnus, ex pleurithide vnus, ex febre bilioſa vnus, ex febre putrida vnus, ex febre bilioſa putrida vnus, ex phtyſi vnus, ex Iſchiade muſculoſa vnus, ex empyemate ſanguineo vnus, ex hydrope pectoris cum anaſarca vnus, ex ſcyrrho pylori vnus, ex diabete vnus.

Horum multos pro incurabilibus declaratos ſolius Anatomes gratia aſſumſeram, ac caeterum nullum leui morbo laborantem lectis meis dignum iudico.

INDEX CAPITVM.

Pag.

CAPVT I. Aliqua de Epidemiis in genere 1

CAPVT II. Conſtitutio anni 1780 bilioſopituitoſa finientis hyemis et vniuerſi veris 21

CAPVT III. Conſtitutio aeſtatis 1780 36

CAPVT IV. Conſtitutio autumnalis anni 1780 81

CAPVT V. Conſtitutio hyemis anni 1781 103

CAPVT VI. Conſtitutio veris anni 1781. 107

CAPVT VII. Conſtitutio aeſtatis anni 1781 121

CAPVT VIII. Obſeruationes miſtae. 133

CAPVT

Pag.

CAPVT IX. Sectiones cadauerum variae

Abſceſſus hepatis ingens 144

Sectio II. Scyrrhus Pylori. . . . 149

Sectio III. Diabetes Spurius . . . 153

Sectio IV. Iſchias metaſtatica muſculoſa 156

Sectio V. Rarus morbus pectoris . . 162

Sectio VI. Hernia incarcerata . . . 169

Sectio VII. Triſmus ab operatione ſteatomatis in inguine . . . 175

Sectio VIII hominis, qui ex melancholia ſe ipſum ſubmerſit 178

Effectum aëris fixi, qui ſub vſtione calcis liberatur &c. 183

WENCESLAI JOANNIS
NEPOMUCENI
LANGSVERT,
PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS

HISTORIA MEDICA
MORBI
EPIDEMICI
SIVE
FEBRIS PUTRIDÆ
ANNI
MDCCLXXI, & MDCCLXXII.



ADPROBANTE CÆR. REG. CENSURA.

PRAGÆ MDCCLXXV.
IN OFFICINA LIBRARIA WOLFGANGI
GERLE.

PRÆFATIO.

Non ingenii ſuaviter delirantis ſpecioſa ſigmenta — veritates propono practicas, quas ægrorum lectus docuit, caſuum frequentia confirmavit.

Numero enim plurimi, varietate inſignes, ægri nobis omnibus ſe ſe offerebant, quotquot lugubri illo Epidemiæ in Bohemia graſſantis tempore medicinam exercuimus medici. Ut vero omnium ſymptomata varia recenſere, inutile, immo impoſſibile, mihi ſemper viſum fuerat; ita generalem morbi adumbrare ideam, qualis ex plurimorum caſuum ſingularium varietate obtineri poterat, & neceſſarium, & dignum fore, exiſtimaveram; ut morbi hujus atrociſſimi hiſtoriam — haud levis momenti Annalium noſtrorum partem — ea, quæ obſervavi, ſimplicitate, eodemque animi candore exponerem.

Non diſſiteor, alios, ingenio præditos acriori, plura forte in hac epidemica febre vidiſſe; ego ea ſolum, quæ certo vidi,

hic delineavi, nullo verborum ornatu, nulla hypotheſium ſubtilitate — ſola ſimplici & inconcuſſa veritate communitus.

Quamobrem prior tractatus mei Sectio, morbi epidemici, ſive febris putridæ, quæ ab anno 1771 *vere incipiente uſque ad autumnum anni* 1772 *in Bohemia graſſata eſt, cognitionem duntaxat hiſtoricam offert; dum Capite I. aeris conſtitutionem, victus rationem, & febris hujus putridæ originem, ac progreſſum; II. Febris ejusdem ſymptomata, & prognoſin; III. ejus curandi rationem, ut obſervata fuerat, ſimpliciſſime proponit.*

Philoſophicam hujus morbi cognitionem Sectio altera complectitur; quæ Capite I. febris hujus putridæ naturam, II. cauſas, III. ſymptomatum rationem, IV. denique remedia morbo huic adpropriata, ex certis Medicinæ principiis, caſta ratiocinii lege, deducit.

Tu L. B. conatus meos boni conſule — ama me! Dabam Pragæ Bohemorum in Muſæo meo XI. Calend. Februar. Anno ſalutis MDCCLXXV.

SEC-

SECTIO I.

HISTORIA FEBRIS PUTRIDÆ ANNI 1771 & 1772.

CAPUT I.

DE AERIS CONSTITUTIONE, VICTUS RATIONE, ET FEBRIS PUTRIDÆ ORIGINE, AC PROGRESSU.

§. I.

Lugubrem profecto morbi triſtiſſimi hiſtoriam hic recenſere conſtituimus, qui cariſſimam nobis Patriam Inclytum Bohemiæ Regnum anno a partu Virgineo 1771, & 1772 late depopulabatur, atque ingentem incolarum ſtragem perſecerat; ut ex morbi hujus fune-

neſtiſſimi origine, decurſu, & fine tanto magis Supremi NUMINIS Omnipotentiam, ac Providentiam inceſſanter laudemus (*a*); dein Auguſtiſſimorum etiam Principum Noſtrorum, Auguſtiſſimum hic Romanorum Imperatorem, ac Corregentem JOSEPHUM II. Auguſtiſſimamque Illius, & Patriæ noſtræ Matrem, Imperatricem &c. Reginam noſtram Apoſtolicam MARIAM THERESIAM, intelligimus, horum, inquam, Clementiſſimorum Principum indefeſſam curam, atque ſollicitudinem orbi litterato, ac univerſæ poſteritati commendemus; ut denique, quidquid in Medicinæ progreſſum, atque generis humani utilitatem ex morbi hujus hiſtoria redundare poteſt, clare nitideque exponamus.

§. 2.

Quod ut tanto fiat exactius, exemplo magnorum Virorum SYDENHAMI, & PRINGLE, aeris conſtitutionem, omniumque, quæ his annis tam ante natam hanc epidemiam, quam eadem graſſante, acciderunt, quæque ad ejus morbi originem, progreſſum, aut terminum quidpiam conferre potue-

(a) *Morbi* enim *acuti ut plurimum DEum habent Authorem, ſicut Chronici nos ipſos*, inquit SYDENHAMUS in *Diſſert. Epiſtol. Oper. p. m.* 394.

tuerunt, breviſſimam, ſimpliciſſimamque enarrationem, fideliter hic præmittemus.

§. 3.

Atque inprimis omnes, quotquot benigniſſima NUMINIS Providentia a morbo hoc funeſtiſſimo ſeu immunes conſervavit, ſeu eodem correptos priſtinæ iterum ſanitati reſtituit, & in hodiernum uſque diem ſuperſtites eſſe voluit; nos certe omnes indelebili memoria tenemus, anno 1769 vere, æſtateque tota, & autumno pluvias frequentiſſimas, maximasque accidiſſe; ex quibus inundationes plurimorum agrorum natæ, loca fluviis vicina, domusque ipſæ his adſitæ devaſtatæ, innumerique diverſi generis novi aquarum rivuli hinc inde orti; a quibus etiam natæ ſunt maximæ cellarum ſubterranearum per totam fere urbem, in locis etiam ſat elatis, inundationes, atque in iis denique cellis, in quibus ab immemorabili tempore nulla aqua conſpiciebatur, nunc eadem abundabat adeo, ut maximo etiam, & indefeſſo operariorum labore eliminari haud potuerit, donec eadem iterum ſenſim, & ſponte ſua diſparuiſſet.

§. 4.

Anno vero 1770 vere adpropinquante, aura ſatis ſerena, amœnaque fuit; at ſubito die 19 Martii ingentem nivium quantitatem urbem noſtram, agros omnes, univerſam fere Regni noſtri ſuperficiem (nam de ſolo Bohemiæ Regno, ejusque morbo epidemico nobis ſermo eſt) adeo obruere vidimus, ut non facile noſtrum cuipiam ejusmodi nivium copiam videre contigerit. Ab hac itaque enormi nivium quantitate non modo aeris inclementia ſumma nata, diuque protracta eſt; ſed iisdem etiam nivibus ſolutis, magnæ iterum in locis plurimis inundationes ſubſequebantur; ſegetes vero, unica ſpes agricolæ, & commune omnium facile mortalium pabulum, adeo peſſumdabantur, ut nonniſi earundem penuria maxima paulo poſt ſperari potuerit.

§. 5.

Nec ſatis erat: humida etiam & frigidiuſcula fere tota hujus anni æſtas fuerat, autumnusque ſimilis, jam calore, jam frigore, jam aura ſereniore, jam nubila, admodum varius, vento utplurimum aquilonio ac violento, & pluvia frequentiore inamoenus; donec circa Novembris medium nives

&

& gelu adparerent, quæ tamen frequentibus iterum pluviis interrumpebantur, adeo ut finem hujus 1770 & initium 1771 anni pluvia & aura nebuloſa ac nubila concomitarentur. Quam nivium in vere (§. 4.) copia minabatur ſegetum penuriam, ea mox meſſis tempore comparuit, & de die in diem augmentum accepit, atque panis jam cariore pretio venditus eſt. Miſeri itaque homines, qui duriore labore victum quærere coguntur, inopia & fame premi ceperunt. Obſervabantur jam ſub finem ejusdem 1770 anni quidam febre, putrida medicis dicta, laborantes ægri, quorum tamen numerus cum exiguus fuerit, morbus ipſe pro ſporadico habebatur.

§. 6.

Verum enim vero aura hæc humida nebuloſa & pluvia, quæ initium anni 1771 fecerat (§. 5), gelu ſubitaneo, & nivibus aſperior facta eſt, mox iterum pluvia, nivibusque, & gelu, alternatim ſe ſe excipientibus; eæque auræ viciſſitudines per totam hyemem uſque ad veris initia perſiſtebant; inprimis vero die 17 Martii fluvius Moldava ultra littora ſua tantopere extendebatur, ut plurimas fluvio huic vicinas domus per aliquot etiam dies inundaret. Inte-

terea cerealium inopia indies creverat; nihil tamen de ulteriori febris putridæ progreſſu menſibus his Januario, Februario, & Martio, in urbe noſtra obſervabatur.

§. 7.

Inundationem hanc (§. 6.) excepit ineunte vere aeris calor, mox tamen iterum gelu intenſiore, nivibus, & pluviis interruptus; talis fuerat totus menſis Aprilis: Majus etiam pluvia, & ventis aquiloniis inamœnus fuit, ſub finem tamen calidior; ſed iterum Junio menſe aura nubila & pluvia uſque ad ſolſtitii tempus perduravit. Verum interea rei frumentariæ inopia tanta erat, ut, inprimis Majo menſe, homines etiam cum ſanitatis vitæque periculo panem redimere non dubitaverint; etſi interea ab Inclyta Regia Commiſſione Politica, ab Inclyto Regio Gubernio, & a Celſiſſimo inprimis Principe CAROLO EGONE A FÜRSTENBERG omnia remedia adhiberentur, quibus hic annonæ defectus ſuppleri, atque miſerorum hominum ſuſtentationi uberius proſpici poſſet. Cum tamen hæc frugum inopia non ſubito pro votis levari poſſet, panis ater, quo alias milites veſci ſolent, civibus diſtribuebatur; idoneum ſane medium, quo fami ſuæ opitula-

ren-

rentur miſeri homines, victus tamen multorum hominum viſceribus inconſuetus, eorumque vitæ generi inconveniens. Sed quid de miſerandis ruriculis dicemus? quibus ſagaciſſima hæc Ill. Procerum Providentia ob ſummum undique annonæ defectum proſpicere minus poterat, etſi omnibus viribus adniteretur. Et profecto miſeri hi mortales, qui panem atrum alias in deliciis habent, utpote eorum vitæ generi maxime adpoſitum, nunc pane ex ſolis furfuribus, immo radicibus variis, & terra potius dixeris, parato utebantur; herbis, & radicibus variis veſcebantur; immo carnibus animalium, etiam morbis enectorum, & jam terræ commiſſorum, ac putridorum, clam erutis famem ſuam lenire conabantur. At eodem ſimul tempore febris putrida indies increvit, & jam epidemica fieri cepit, licet Nobiliſſimum DD. Medicorum Collegium, & ipſa etiam Inclyta Regia Sanitatis Commiſſio nihil non agerent, quo pro viribus ſuis malo graſſari incipienti ſe ſe opponerent. Febri huic putridæ etiam febres intermittentes, potiſſimum tertianæ, intermixtæ erant.

§. 8.

Solſtitium æſtivum comitabatur calor, qui progrediente æſtate increvit, frequenti ta-

tamen pluvia, & vento ſæpe frigido ſatis (menſe inprimis Julio, & Auguſto) interruptus, circa æſtatis finem iterum multum æſtuans. Hoc tempore induſtria, & aſſiduo labore Ill. Procerum noſtrorum annonæ defectus minuebatur, conquiſitis undique, & magno etiam pretio redemtis frugibus; acceſſit etiam meſſis, quæ tamen, ob magnam aeris humiditatem, ob multos a prægreſſis inundationibus (§. 3. 6.) devaſtatos agros, & ob multorum agricolarum inopiam, qui agros ſuos hoc anno incultos relinquere cogebantur, valde parca erat.

§. 9.

At Regnum noſtrum tot oppreſſum calamitatibus, tot tamque funeſtis obrutum malis, præſentia ſua recreavit Auguſtiſſimus Romanorum Imperator JOSEPHUS II. atque, quod olim Vindobonenſibus a piiſſimæ memoriæ, tanto Filio digniſſimo Patre, Auguſtiſſimo Romanorum Imperatore FRANCISCO I. factum exemplo accepit, dum Is aqua a confracta glacie oppreſſis civibus in Sub-Urbio Vindobonenſi etiam cum vitæ periculo panem diſtribuit; hoc Auguſtiſſimus, atque Clementiſſimus Princeps nobis præſtiterat, dum triticum ex Hungaria adferri juſſit, quo miſeri homines

nes in toto Bohemiæ Regno alerentur; & cum febris putrida interea late undique graſſaretur, atque cura Ill. Procerum Noſocomia publica conſtituerentur, Auguſtiſſimus hic Imperatot eadem non modo amplificavit, omnibusque neceſſariis ſubſidiis exornavit; ſed etiam inaudito ſane exemplo, Majeſtatis ſuæ ſplendore miſerrimos ægros ibi decumbentes recreavit, viſitavit, confortavit. Auguſtum ſane tanti Imperatoris exemplum! quo & ſuum erga ſingulos, viliſſimos etiam, amorem conteſtaretur, & omnium, miſerrimorum etiam, neceſſitati proſpiceret, omnesque ad debita ægris officia præſtanda exemplo ſuo animoſe exhortaretur.

§. 10.

Autumnus hujus 1771 anni frigidus, nebuloſusque fuit, ventus validior ſæpe adfuit, non raro calor major interceſſit. Demum gelu, nives, & pluviæ, per vices ſe ſe exceperunt, & finem huic anno impoſuerunt. Victus inopia laudatis (8. 9.) auxiliis multum mitigata fuit; febris tamen epidemica hucusque perſtitit.

§. 11.

Annus 1772 gelu intenſiore & nivibus inchoabat, cui menſe Februario pluvia ſucceſſit; gelu tamen iterum & nives hyemem terminarunt; febris epidemica hoc tempore adhuc graſſabatur.

§. 12.

Ver aura calidiore, nubibus tamen & pluviis interſperſis, nos recreabat; febris putrida ſenſim minui cepit, & febres intermittentes tertianæ comparuerunt.

§. 13.

Æſtas ſerena calida fuit, pluviis ſalutaribus irrigata; ſimilisque autumnus fuit: meſſis ampla cerealium penuriam omnem ſuſtulit. Atque hoc tempore funeſtiſſima hæc epidemia, quæ tot mille hominum clades perfecit; quæ tot parentibus filios, filiis parentes, viris cariſſimas uxores, uxoribus maritos, amicos amicis eripuit; quæ tot homines paupertati in hodiernum uſque diem mancipavit; quæ tot triſtia ſui monumenta poſt ſe reliquit; hæc, inquam, teterima lues, favente Divina Providentia, extincta eſt, tertianis ſolummodo febribus aliquantiſper permanentibus.

CA-

CAPUT II.

DE FEBRIS PUTRIDÆ SYMPTOMATIBUS, ET PROGNOSI.

§. 14.

Supereſt, ut ipſam morbi atrociſſimi hiſtoriam ea, qua par eſt fidelitate recenſeamus. Morbus in plerisque aliquot diebus ante ſe adnuntiabat, prægreſſa magna laſſitudine, capitis gravitate, lumborum, genuumque dolore, ſapore oris jejuno tempore ingrato & amaro, appetitu exiguo, ſomno perturbato, quandoque cephalalgia magna, quæ aliquot diebus perſiſtebat absque alio ſymptomate; non raro tertianæ ſpecie ſub principium ludebat; alii adhuc obambulantes delirare ceperunt (*a*); alios vis morbi ſubito proſtravit (*b*).

§. 15.

(a) Similia obſervavit CEL. PRINGLE Obſerv. P. III. cap. 4. p. m. 191, & ſeqq. & cap. 7. p. m. 274, & ſeq.

(b) Morbus enim non eadem, ſed ſecundum variam ægri conſtitutionem, & occaſionem datam diverſa ſe oſtendebat facie, diverſeque etiam indolis erat, adeo ut quosdam ſubito cum dejectione momentanea virium invaſerit; alios lento pede adgreſſus, auctus tandem graviter die

§. 15.

Sequebatur tum horripilatio, frigus, cui ſucceſſit ſiccus & acer calor (*a*); pulſus, qui frigoris tempore parvus & celer erat, accedente calore magnitudine augebatur, quandoque valde fortis, non tamen durus erat; in quibusdam tamen nec frigoris, nec caloris augmentum valde notabile fuit, pulſusque ſano fere ſimillimus. Cephalalgia in quibusdam augebatur, in aliis fere nulla adfuit; nauſea, & vomitus etiam nonnullos cruciabat; ſitis; ructus; oris amarities, frequenter increſcebant. Febris plerumque noctu validior mane remiſſior erat, nunquam tamen

die octava vel nona morbi; quosdam ſub larva febris catarrhalis, aut rheumaticæ, quandoque etiam cum acrioribus artuum doloribus, alios ſub ſpecie febris intermittentis variæ, quosdam longe alia facie adgreſſus ſit.

(a) Acrem hunc calorem in febribus putridis jam GALENUS obſervavit; dum inquit: *Febrium, quæ a putredine oriuntur, maximum indicium eſt mordacitas & acrimonia caloris; quæ perinde ac fumus nares & oculos, ſic ipſa erodere tactum videtur. — Non ſtatim ea qualitas, admota manu diſcernitur, & per meram prædicta caliditatis ſpecies effertur ex penitioribus partibus.* GALENUS de differ. Febr. Lib. I. cap. VII. Similem calorem acrem in febre carcerum obſervavit CEL. PRINGLE P. III. cap. 7. p. m. 277, & ſeq.

tamen penitus ceſſabat; æger vero potiſſimum triſtis & dejectus erat. Lingua alba, flava, ſordida, & dentibus ſordes ſimiles adhærebant; alias ſicca, dura, aſpera, nigra lingua fuit; halitus oris ingratus (*a*).

§. 16.

Urina copia, colore, & conſiſtentia multum variabat (*b*); alvus quandoque clauſa erat, quandoque levis diarrhoea aderat absque levamine; cutis alias ſicca, alias madida fuit pariter absque levamine; febris ſingulis diebus exacerbabatur, plerumque ſine

(a) In quibusdam enim erat in principio impuritas primarum viarum ex cacochylia collecta, quæ iterum in quibusdam erat fomes, ſeu cauſa materialis manifeſto, in aliis demum nullum in febrim exercuit imperium, neque expulſa febrim infregit; in aliis fomes, ſeu cauſa materialis mali in ſanguine, nullo vitio in primis viis adparente, hærebat; in quibusdam materies ſordida in ſanguine nata ſubito cum horrore in principio morbi ad primas vias deferebatur, quæque colluvies iterum non ejusdem, ſed diverſæ, obſervabatur indolis. Nullus proinde ſymptomatum morbi, in omnibus ægris, conſtans adparatus, neque idem ſuccedens ordo eorum, & ſeries, ſed omnia hæc in diverſis ægris diverſa erant.

(b) Similes urinæ varietates in febre carcerum vidit CEL. PRINGLE P. III. cap. 7. p. m. 276.

ullo temporis ordine, quæ tamen exacerbationes in quibusdam vix percipiebantur. Sæpe vermes, lumbricis ſimiles, per ſuperiora aut inferiora excernebantur (*a*); quandoque etiam icterus hanc febrem comitabatur; auditus plerumque gravis ſiebat (*b*).

§. 17.

In quibus morbus valde atrox fuit, & ſæpe omnibus remediis ſuperior, aut mala medicatione pejor redditus, in his febris ſenſim augebatur, & quandoque a nimia ſanguinis diſſolutione ingens & non ſiſtenda narium hæmorrhagia, diebus non criticis, contingebat; acceſſere deliria; abdomen mirum in modum tumebat; inſenſilitas aderat, & alvi, urinæque excretiones involuntariæ fiebant; ſudore diffluebant ægri; pulſus celer, parvus, & inæqualis fuit; reſpiratio frequens, anheloſa, difficilis; foetor excretorum cadaveroſus; convulſiones, tendinumque ſubſultus; decubitus ſupinus, &

(a) Vermibus lumbricorum ſimilibus ſtipata fuit febris putrida, quæ anno 1757, & 1758 Pragæ graſſabatur. VERBEK Diſſert. inaug. Sect. V. §. II.

(b) Surditas vel auditus gravis in hoc morbo mali ominis non eſt, monente ILL. B. de SWIETEN de Morb. Caſtr. p. 139.

& verſus lecti partem inferiorem delapſus; æger omne auxilium reſpuebat, & continuo delirans loquebatur; tremebat, & muſcas ac feſtucas capiebat; oculi luctuoſi, involuntariis lachrymis humidi; pulſus adeo celer & parvus ſiebat, ut numerari non potuerit; anxietas ingens; ſudor frigidus inæqualis; thoracis repletio, mors.

§. 18.

Multi absque ullo exanthematum veſtigio vel ſanitati reſtituti ſunt, vel e viventium numero ſublati; alii miliaribus rubris, albis alii, alii maculis purpureis, pauci etiam lividis ſcatebant, inprimis ubi humorum corruptio maxima aderat; aut qui ex vulgi imperitia regimine nimis calido tractabantur (*a*).

§. 19.

(a) Symptomata febris putridæ ſequentia enumerat CEL. HOME: *Adſunt calor intenſus, mordax, & remittens; pulſus tenſus, parvus, frequens & inæqualis; pulſatio arteriarum carotidarum & temporum; ſumma virium proſtratio & imbecillitas; animus anxius, dejectus, & peſſima quævis ominans; nauſea, vomitusque bilis nigræ; dolor capitis & temporum; oculi inflammati & dolentes circa fundum; color infumatus, tinnitus aurium; reſpiratio laborioſa, interrupta cum ſuſpiriis. & anima foetida; dolores in ventriculo, artu-*

§. 19.

Quos morbus violentia (§. 17.) recenſita adgrediebatur, ii plerumque die morbi 6° aut 9°, quidam etiam 12° & 13° occubuere; qui vero mitiorem morbi gradum experti ſunt, ii plerumque die morbi 14° judicati ſunt, & ſi hoc die criſis perfecta non fuerat, potiſſimum die 17° perfecte judicabantur; rariſſime criſis ad 21um diem protrahebatur. Evacuatio critica communiter per urinam, & ſudorem ſiebat, quandoque etiam per alvum (*a*); rariſſime metaſtaſes in alia corporis loca contingebant

artubus, & dorſo; decubitus difficilis; tremor; delirium; lingua primo alba, dein nigra, aridaque; labia & dentes tenaci ſorde oblinita; ſanguis lividus, diſſolutus, vix cohærens, citoque putreſcens; ſitis inexplebilis, cum oris amaritudine; urina primo pallida, ſed in morbi incremento ruberrima, immo aliquando nigreſcens, cum ſedimento inſtar fuliginis; ſudores fœtidi & ſanguine ſæpe tincti; dejectiones graveolentes, lividæ, nigræ, vel ſanguineæ; maculæ lividæ parvæ, inſtar morſus pulicum, petechiæ, vel ſi latiores, vibices dictæ, hæmorrhagiæ, aphthæ, ulceratio faucium, & ſingultus. Princip. Medicin. p. 81, & ſeq.

(a) Multis, ſine ulla evacuatione notabili obſervata, morbus ſolvebatur.

bant (*a*). Abſoluta bona criſi, ſi æger congruo victus regimine utebatur, vires priſtinæ cito rediere, in quibusdam tamen tardius; in aliis ob diætæ errores recidivæ faciles fuerunt, ſubinde lethales, ſubinde tamen iterum ſanabiles (*b*).

§. 20.

Homines inprimis mediæ ætatis hac febre putrida adficiebantur, quanquam juvenes etiam, & ſenes eadem correpti fuerint:

(a) In uno enim alterove metaſtaſis ad parotides fiebat, aut aliquando ad partes muſculoſas, aut ad extremitates inferiores, aut ad ſcrotum, & exulcerationem, vel gangrænam, his partibus inducebat; quæ metaſtaſis ad viſcera decumbens occidebat ſubito. Talem metaſtaſin ad pulmones factam, cum ægri interitu, obſervavi.

(b) In quibusdam febribus epidemicis, recidivæ obſervantur, quin manifeſtam redeuntis mali cauſam, quis divinari poſſit, ut in febre petechiali epidemica Viennæ ab anno 1757 ad 1759 graſſante obſervavit CEL. HASENOEHRL, qui ſuſpicabatur, in quibusdam corporibus tam copioſam adfuiſſe materiam, ut minera ejus per efflorescentias cutaneas neutiquam exhauſta fuerit, atque ſuperfluam illam materiam extra territorium circulationis ablegatam, pro tempore ibi inertem commoratam fuiſſe, ſtatione vero relicta denuo in maſſam ſanguineam remeaſſe, novamque ebullitionem febrilem induxiſſe. Hiſt. Febr. Petech. p. 45.

ii, qui victu pejore utebantur, magis hac febre ægrotabant, & ii etiam, qui triſtioribus animi pathematibus ſubjecti fuerant, gravius hoc morbo adficiebantur, & vix eorum quispiam evadebat (*a*).

CAPUT III.

DE FEBRIS PUTRIDÆ CURANDI RATIONE.

§. 21.

Ut methodum medendi exponamus, æger incipiente morbo (§. 14.) mox debito regimini committebatur; motus videlicet corporis conſuetos & labores ſuos intermittens, victu parciore & tenuiore utebatur, pro potu ordinario aquam cum ſucco citri, aut decoctum hordei cum nitro & oxymelle ſimplici aut ſpiritu vitrioli ad gratam aciditatem

(a) Similiter de febre putrida ſcribit CEL. HOME, dum inquit: *Qui laxo habitu, ſanguine phlegmatico ſanguineo, animoque mœſto prædití ſunt; qui pravorum alimentorum ingluvie, venere, fame, laboribus, vigiliis debilitati, facillime hoc morbo corripiuntur, & difficillime emergunt.* Princip. Medicin. p. 80, & ſeq.

tatem paratum exhibebatur; pauperes vero aquam cum aceto ſumere jubebantur (*a*).

§. 22.

Quibus pulſus fortis, duriorque fuit, & temperies ſanguinolenta, iis vena ſecari debuit, etiam quandoque repetitis vicibus (*b*), & ſanguis cruſtam phlogiſticam ſæpe habuit (*c*); quibus vero ejusmodi pulſus aut plethora non aderat; iis venæſectio neutiquam adminiſtrata fuit.

(a) Non quidem generalis ſtatui ſecure potuit methodus medendi; aliis enim venæſectio, aliis emetica, aliis purgantia, aliis veſicantia, profuerunt, quibusdam obfuerunt, neque in ulteriori morbi decurſu omnibus methodus antiphlogiſtica, nitroſa; aliis antiſeptica, aliis cardiaca excitantia &c. palmam eripuerunt. Hinc primaria duntaxat rationis medendi capita hic adtingam.

(b) Venæſectionem ſub his circumſtantiis etiam laudavit CEL. PRINGLE P. III. cap. 4. p. m. 325, & ſeq. & cap. 7. p. 295. & ILL. de SWIETEN de Morb. Caſtr. p. 140. & Dresdenſes Medici. *Dresdn. Magaz.* 1 *Band*, 2 *St. p.* 70.

(c) Similem cruſtam in febre carcerum ſæpe vidit CEL. PRINGLE P. III. cap. 7. p. m. 276. Cruſtam etiam ſæpenumero phlogiſticam, ſat denſam, etiam dum repetitis vicibus ſanguis detrahebatur, obſervavit CEL. HASENOEHRL in febre petechiali, quæ ab anno 1757 uſque ad annum 1759 Viennæ graſſata eſt. Errant ita-

§. 23.

Quibus ultra biduum, etiam ſub majori potus diluentis uſu, os ſordidum, & continuus vomendi conatus permanſit, ſine inflammatione concomitante, iis emeticum ex radice ipecacuanha, aut tartaro emetico exhibitum fuit, varia doſi pro ætatis, & temperiei varietate (*a*); quidam eorum ab emetico tempeſtive exhibito ſtatim levabantur, & morbum integrum profligatum gaudebant; alii ſine emetico æque facile ſanabantur; alii demum, eodem neglecto, morbum graviſſimum ipſa morte terminarunt. Quibus emeticum exhibere non licuit, iis repetitæ rhei cum ſale aliquo medio exhibiti doſes egregie profuere. In alvo adſtricta (§. 16.) etiam clyſmata emollientia bene adhibebantur.

§. 24.

itaque, qui ſanguinem in morbo petechiali ſemper putridum & ſolutum eſſe credunt, ut recte animadvertit laudatus HASENOEHRL Hiſt. febr. petech. p. 21, & jam dudum oſtendit ILL. de HAEN Rat. Med. IV. p. 202.

(a) Emeticorum uſum, ubi nulla inflammatio adeſt, etiam laudat CEL. PRINGLE P. III. cap. 4. p. m. 226, & ſeq. & cap. 7. p. 296, & ILL. SWIETEN de Morb. Caſtr. p. 141. & in febre epidemica putrida, quæ anno 1759 Dresdæ graſſabatur, emetica ſummopere laudata legimus. *Dresdniſch. Magazin* 2 *Band.* 1. *St.* *p.* 33. & *ſeq.*

§. 24.

Ubi vero morbus conſueto ordine (§. 15.) decurrebat, mixturæ ex aquis diapnoicis, nitro, ſtibio diaphoretico non abluto, lapidibus cancrorum, & ſyrupo quodam acidiuſculo, aut ſimilibus propinabantur; quibus & febris minueretur, & humorum putrida corruptio impediretur (*a*). Diæta his, præter potum (§. 21.) deſcriptum, erant juſcula hordeacea cum ſucco citri, leves panatellæ, aut, qui huic adſueti erant, tenue jus carnium cum citri ſucco; fructus etiam horæi his concedebantur.

§. 25.

Si adhibitis remediis illis (§. 22. 23. 24.) febris tamen continuabat cum magna cephalalgia, aut delirio, epiſpaſtica pedibus adplicata fuerunt; iisque non ſufficientibus, veſicantia larga ſuris, femoribus, nonnunquam brachiis etiam, & intra ſcapulas adplicabantur; hæc, ſi tempeſtive, & larga ſatis adhibita fuerunt, ſæpe optime a delirio levarunt ægrum, inprimis vero ea, quæ intra ſcapulas locabantur: quibus nullas veſicas,

(a) Medicamenta ſimilia etiam in eadem febre epidemica Dresdenii adhibita fuerunt. *Dresdniſch. Magazin* 1 *Band*, 2 *St. p.* 71.

cas, etiam repetita, levarunt, ii certo moriebantur; licet etiam eorum, quibus amplas veſicas extraxerunt, multi occubuerint.

§. 26.

Ubi humorum corruptio magna (§. 18.) aderat, in his egregie profuit cortex peruvianus, ſive in ſubſtantia, ſive in extracto exhibitus, atque ab eodem mire reficiebantur ægri.

§. 27.

Ad linguæ nimiam ſiccitatem levandam mucilago ſeminum cydoniorum cum melle roſarum optime conducebat.

§. 28.

Morbo jam perfecte judicato (§. 19.) lene purgans ex tamarindis, rheo, foliis ſennæ, manna, ſale polychreſto, & ſimilibus exhibebatur; & corpus cibis levioribus eupeptis refici, non opprimi, debuit; leni ſimul corporis motu accedente. Atque hæc eſt morbi hujus epidemici, ejusque curationis hiſtoria, quam fidelis obſervatio nobis communicaverat; reliquum jam eſt, morbi hujus naturam, cauſas, ſymptomata, & curandi methodum adcuratius examinare.

SEC-

SECTIO II.

EXPOSITIO MEDICA DE NATURA, CAUSIS, SYMPTOMATIBUS, ET CURANDI METHODO FEBRIS PUTRIDÆ ANNI 1771 & 1772.

CAPUT I.

DE FEBRIS PUTRIDÆ NATURA.

§. 29.

Quicunque hiſtoriam (§. 14 ad 18.) enarratam exactius perpendit; is ſane perſpiciet clariſſime in miſerrimo hoc ſtatu actiones hominis vitales, naturales, & animales, multas omnino, & præcipuas læſas fuiſſe: quum igitur omnis humani corporis conditio, quæ dictas actiones lædit, morbus vocetur, atque morbi ejusmodi magnitudo, & periculum ex actionum plurium ac primariarum læſione cognoſcatur; liquido adparet, ſtatum (§. 14 ad 18.) deſcriptum, morbum certe fuiſſe magnum, & periculi plenum.

§. 30.

§. 30.

Verum omnis morbus, in quo a cauſis internis orta horripilatio, pulſus velox, & calor vario morbi tempore vario gradu cum læſione unius, vel plurium functionum naturalium, animalium, vel vitalium, adeſt, febris dicitur *(a)*. In noſtro vero morbo (§. 29.) hæc omnia adfuere (§. 15.); ergo morbus noſter febris dici debet.

§. 31.

Febres autem omnes aut cito in ſanitatem vel mortem terminantur, & acutæ ſeu breves dicuntur; aut longo tempore protrahuntur, & chronicæ vel lentæ adpellantur

(a) Frequentia pulſus primo a SYLVIO inter ſymptomata febrium pathognomonica numerabatur. Sed caloris majus minusve augmentum æque inter hæc locum meretur, quia in omni febre & in unoquoque febris ſtadio, immo in rigoribus detegitur. Læſio functionum merito inter notas febrium pathognomonicas collocatur, quia ſemper adeſt nonnulla, & febrem ab accelerato per motum vinumque ſanguinis curſu diſtinguit: ſed hæc læſio nullis certis inſignitur ſymptomatibus: ergo a prioribus ſolis deducenda eſt febrium natura. HOME Princip. Medicin. p. 61.

tur (*a*). Febris iterum noſtra (§. 30.) ultra 13, 17, aut 21 diem non protrahebatur, & intra hanc periodum vel in ſanitatem, vel in mortem terminabatur (§. 19.); igitur ex genere acutarum fuit.

§. 32.

(a) Hæc diviſio, uti manca & difficilis, quando morbi in ordinem digerendi, merito culpatur. 1*mo*: Plurimi enim morbi modo acuti, modo longi ſunt, quales febres continentes & intermittentes, febris hectica, epilepſia, apoplexia, paralyſis &c. 2*do*: Hæret medicus morbo incipiente, utrum ad acutos vel chronicos referendus ſit. 3*tio*: Morbo finito, non adhuc ſemper de ordine conſtat; tempore genera determinante, nondum circumſcripto. 4*to*: Mala plane repugnantia, quales morbi cum citato & morbi cum tardo pulſu, in eundem ordinem rediguntur. 5*to*: Nonnulli morbi, quales dolores rheumatici, tuſſis, odontalgia, diſtillatio, dolor colicus &c. neque acuti dici poſſunt, quia non perimunt; neque utique longi, quia vel cito finiuntur, vel facile ſanantur. Ob has cauſas CEL. HOME diſplicet, & rejicitur hæc antiqua morborum diviſio. Princip. Medicin. p. 58. Verum quoniam hæc, fatente ipſo CEL. HOME, HIPPOCRATIS ante ævum ortum habuit, a CÆLIO AURELIANO, & ARETÆO præcipue exculta, & a plerisque practicis ad hoc uſque tempus in auxilium vocata fuit, neque nos eadem in determinanda morbi noſtri natura uti dubitavimus. Accedit, quod nobis non morbos, ſed febrium genera, ita dividere placuerit.

§. 32.

Porro morborum genera variare plurimum ratione temporum anni, tempeſtatis, regionis, ætatis, jam olim HIPPOCRATES multis ſuorum operum locis abunde demonſtravit. Diverſi ejusmodi morbi, vario anni tempore dominium exercentes, diverſis nominibus inſigniuntur a Medicis; ſic vel Epidemici, vel Endemici, vel Sporadici ſunt. Epidemici dicuntur, qui plurimos in eodem loco exiſtentes, diverſæ etiam temperiei, & varia ratione viventes adgrediuntur, ſimilem fere decurſum, atque eadem fere habent ſymptomata, eandemque fere curandi methodum expoſcunt. Endemici vocantur, qui certam regionem, vel certas in eadem regione plagas infeſtant, ſtatis tempeſtatibus plus minus graſſantur, & a cauſis loci communibus ac ſtabilibus originem ducunt: Sporadici denique adpellantur, qui paucos adgrediuntur, & in ſingulis fere hominibus diverſi, a temperie ſingulari ægrotantis, vitæ genere, aut morbis prægreſſis originem ducere ſolent. Quoniam itaque febris noſtra acuta (§. 31.) non paucos ſolummodo adgrediebatur, ſed multa hominum millia (§. 13.); neque in ſingulis fere hominibus diverſa, aut a temperie ſingulari ægrotantis, vitæ genere, aut

mor-

morbis prægreſſis, originem duxerat, ſporadicus morbus ſane dici nequit, etſi ſub principium, dum ægrotantium numerus adhuc valde exiguus fuerat (§. 5.), pro ſporadico haberi potuerit. Minus endemicus morbus hæc febris dici potuit; quippe eadem Regno noſtro infeſta non eſt, neque cauſæ ejusdem Patriæ noſtræ communes aut ſtabiles ſunt, ut ſuo loco adparebit. Clarum itaque manet, febrem hanc acutam vere epidemicam fuiſſe; cum plurimos Regni noſtri incolas, diverſæ etiam temperiei & varia ratione viventes adgreſſa fuerit (§.20.), eundem fere decurſum, atque eadem fere habuerit ſymptomata (§. 14 ad 19.), magnitudine tamen, & numero inter ſe differentia (§. 17, 18.), eandemque fere curandi methodum (§. 21 ad 28.) poſtulaverit.

§. 33.

At febris itidem noſtra epidemica (§. 32) motum febrilem ſemel excitatum uno impetu ad finem perducebat, & exacerbationes, ſi quæ fiebant, plerumque absque ullo temporis ordine, & ſæpius nullæ, obſervabantur (§. 16.); ſed ejusmodi febris continua dicitur; ergo febris noſtra epidemica continua dicatur, eſt neceſſe.

§. 34.

Deinde febres continuæ vel ſimpliciſſimæ ſunt, a ſolo motu vehementiore, aut levi peccato ſex rerum non naturalium ortæ, vix ullam habentes materiam, & continuæ non putridæ dicuntur. Vel debentur cauſis inflammationis ſimplicis, & dicuntur febres continuæ inflammatoriæ. Vel denique pendent a cauſis inflammatione ſimplici majoribus, viſcerum obſtructione, cutis & capillarium fere omnium oppilatione, acrimonia vero acutiori, ſæpe prorſus ſingulari; & tum continuæ Putridæ nominantur (*a*). Jam febris noſtra epidemica continua (§. 33.) non fuit continua ſimplex, ſeu non putris: quippe a cauſis vehementioribus, quam ſolo motu corporis auctiore, aut levi peccato ſex rerum non naturalium oriebatur; nam eos etiam corripiebat, qui vitæ ſedentariæ addicti fuere, nec ullum facile exceſſum, quem humana prudentia evitare potuiſſent, in rerum non naturalium uſu fecerunt;

(a) CEL. HOME febres continuas ſeu continentes, ex tota ſymptomatum complicatione & medela, diſtinguit in tres ſpecies, inflammatorias ſcilicet, nervoſas vel lentas, & putridas. Et has febrium ſpecies admodum diſſimiles, omnes comprehendere credit. Princip. Medicin. p. 69.

cerunt; ſuam etiam hæc febris habuit materiam, qua ſæpe ſub morbi initium feliciter eliminata (§. 23.), integer morbus levabatur; eademque in bona criſi per alvi, aut urinæ, aut ſudoris vias, feliciter excreta fuit (§. 19.); ergo febris noſtra non fuit continua non putris. Sed nec inflammatoria erat: nam in omni febre inflammatoria pulſus fortis & durus adeſt, & ſanguis ſemper cruſtam denſam & tenacem habet; in noſtra vero febre pulſus quidem quandoque valde fortis, non tamen durus erat; in quibusdam ſano ſimillimus (§. 15.); neque ſanguis ſemper ejusmodi cruſtam phlogiſticam habuit, & in ægrorum multis venæſectione opus non fuit (§. 22.), aut certe ab eadem ſiniſtre adminiſtrata male ſe habuerunt ægri. Supereſt itaque, febrem noſtram epidemicam eſſe continuam putridam; talemque eſſe demonſtrant omnia ejus ſymptomata (§. 14. ad 19.) enarrata, & ejus cauſæ mox fuſius dicendæ, quæ majores erant, quam in ſimplici inflammatione, & viſcerum obſtructionem, cutis capillariumque fere omnium oppilationem, & acrimoniam quandam acutiorem arguebant (*a*).

(*a*) Febrem putridam diſtinguit CEL. HOME a febre inflammatoria, pulſu parvo, dejectione animi, diſſolutione ſanguinis, petechiis, & putredine

§. 35.

Qui igitur naturam morbi anno 1771, & 1772 in Bohemia graſſantis definire cupit; is profecto clare videbit, morbum hunc magnum & periculi plenum (§. 29.) eſſe febrem (§. 30.) acutam (§. 31.) epidemicam (§. 32.) continuam (§. 33.) putridam (§. 34.) (*a*).

§. 36.

Neutiquam vero febris hæc (§. 35.) per ſe maligna dici debet; cum ii ſolum morbi recte maligni dicantur, quos ſymptomata inſueta, aut ſolito longe graviora, numeroſioraque comitantur, nullatenus vero illi, qui conſueto more ſua ſpatia decurrunt. At

tredine excrementorum; a febre nervoſa, calore, urina ruberrima, ſiti, petechiis, & putredine; a peſte, lenitate potius ſymptomatum, quam ſecundum genera differentia. Princip. Medicin. p. 82, & ſeq.

(a) Febris tamen hæc putrida nunc cum propenſione plus minus in putredinem, nunc cum phlogoſi, quandoque magna, complicata, nunc cum lentore glutinoſo, ſumma nervorum adfectione, pulſu vix febrili decurrens; nonnunquam in aliis cum tanta virium proſtratione, pulſu obſcuro, ut validioribus excitantibus opus fuerit, obſervabatur.

At febris noſtra nulla ſymptomata febri putridæ inſueta, neque ſolito graviora, aut numeroſiora habuit, niſi morbi cauſa valde atrox, vel mala medicatione pejor reddita fuerat (§. 17.); ſed conſueto putridis more ſpatia ſua decurrebat, & diebus criticis judicabatur (§. 19.); igitur nullo modo febris hæc per ſe maligna dici debet, niſi forte mala medicatione talis reddita fuiſſet.

CAPUT II.

DE FEBRIS PUTRIDÆ CAUSIS.

§. 37.

Quum febris continua putrida epidemica (§. 35.) more omnium morborum epidemicorum (§. 32.) non paucos ſolummodo, ſed multa hominum millia (§. 13.) infeſtaverit; neque in ſingulis fere hominibus diverſa fuerit, aut a temperie ſingulari ægrotantis, vitæ genere, vel morbis prægreſſis originem duxerit; cauſæ ejusdem occaſionales non paucis ſolum hominibus, ſed multis certe eorum millibus communes eſſe debuerunt, adeoque ſimul neceſſariæ, ſeu tales, quæ ab humana prudentia neutiquam evitari potuerunt.

§. 38.

Inter cauſas vero communes & neceſſarias (§. 37.) omnium primo occurrit aer; nam ſine aere nullus mortalium vivere poteſt.

§. 39.

Aer vero (§. 38.) vel ob qualitates ſuas, puta calorem, frigus, ſiccitatem, humiditatem, gravitatem, levitatem &c. vel ob heterogenea, quæ continet, morbos producit. Utroque autem modo aer anni 1769, 1770, & 1771 febrem continuam putridam (§. 35.) producere potuit.

§. 40.

Inprimis enim aer anni 1769, & 1770 fere continuo humidus, & frigidus fuerat, in vere quidem anni 1770 ob enormem illam nivium copiam (§. 4.); in æſtate & autumno hujus & præcedentis anni ob frequentes pluvias, & ventos aquilonios; ſique aura paulo calidior interceſſerat, mox frigida, & humida eandem iterum excepit; hyems denique pariter humida & frigida fuerat (§. 5.). Similis aura humida, nebuloſa, & frigida anno 1771 incipiente (§. 6.) fuerat; in vere autem frequentes aeris humidi

midi & calidi, humidi & frigidi viciſſitudines obſervabantur (§. 7.); in æſtate calor major ſequebatur, ventis ſæpe frigidioribus interruptus (§. 8.); autumnus iterum frigidus & humidus fuit, gelu ſubſequente, quod iterum frequentibus pluviis interrumpebatur (§. 10.). Cui gelu intenſius, & ſalubriores auræ viciſſitudines anno 1772 ſuccedebant (§. 11 ad 13.). Sed aer nimium humidus laxat, ſolvit, debilitat fibras, perſpirationem inſenſibilem prohibet; & ſi magnum frigus illi jungitur, humores ſeroſos adcumulat; ſi vero magnus calor accedat, citam humorum putrefactionem producit (*a*): facit ergo aer humidus cu-

(a) *Omnium pernicioſiſſima*, inquit CEL. HOME, *eſt nimia* (aeris) *humiditas, quæ cuti & pulmoni externe applicata, per venas bibulas intus aſſumta, totique corpori interne applicata, fibras laxat & debilitat, perſpirationem minuit, & humores nimis aquoſos reddit. Hinc gravedo, tuſſis, aſthma, phthiſis, hydrops, & febres intermittentes, remittentes, nervoſæque. - - - Frigus humidum valetudini plus infeſtum eſt, quam ſiccum, quia perſpiratio magis impeditur. Sed calidus, humidus, & levis aer omnium complicationum corpori infeſtiſſimus eſt, ob naturam ſumme relaxantem & putreſacientem.* Princip. p 19. Subitæ frigoris & aeris humidioris viciſſitudines, etiam inter cauſas febris putridæ, quæ in Saxonia anno 1759 graſſabatur, recenſitæ fuerunt. *Dresdniſch, Magazin* 1 *Band* 2 *St*, *p*. 68.

tis, capillariumque fere omnium oppilationem, & acrimoniam quandam acutiorem, ab humorum putredine natam. Sed hæc cutis, vaſorumque capillarium oppilatio, & humorum acrimonia acutior eſt cauſa febris continuæ putridæ (§. 34); ergo aer anni 1769, 1770, & 1771 ob qualitates ſuas (§. 39.) febrem continuam putridam producere potuit.

§. 41.

Sed idem aer anni 1769, 1770, & 1771 ſolito plures aquæ particulas continebat a pluviis frequentiſſimis, a nivium ſolutarum quantitate, & inundationibus hinc inde frequentibus; idem aer plurimas particulas corruptas & putridas, ab aquis in cellis ſubterraneis, aut aliis locis, ſtagnantibus & putreſcentibus (§. 3, 6.) accepit, accedente inprimis æſtu majore anni 1771 (§. 8.); ergo idem aer etiam ob heterogenea ſua, particulas nempe aquoſas & putridas, perſpirationem tanto magis prohibuit, obſtructiones cutis capillariumque promovit, putredinem humoribus faciliorem conciliavit, ipſasque jam putridas particulas, per venas cutis bibulas, corpori communicavit. Ergo ille aer etiam ob heterogenea ſua (§. 39.)

39.) febrem continuam putridam producere potuit (*a*).

§. 42.

Non tamen ille aer (§. 38 ad 41.) ſolus, ut cauſa occaſionalis, febris hujus putridæ accuſari debet; alias enim longe adhuc plures homines hac febre adfecti fuiſſent, neque ii, qui victu meliore utebantur (§. 20.), plerumque immunes perſtitiſſent (*b*). Cibus igitur etiam, ut cauſa hujus febris, conſiderari debet, qui æque communis & neceſſaria (§. 37.) eſt morborum cauſa, uti aer, cum etiam ſine cibo

 nemo

(a) Inter particulas morbificas, aeri innatantes, judice CEL. HOME, eminent putrida effluvia, ex putrefactis animalibus, vegetabilibus, vel aquis ſtagnantibus paludoſis ſiccceſſentibus. Hæ particulæ, ex ſale pungente & oleo foetidiſſimo compoſitæ, eandem putredinoſam fermentationem, quantum fieri poteſt, ob motum humorum, chyli novi introitum, & ſecretiones, excitare moliuntur. Inceptam, durante vita, demonſtrant ſymptomata putridæ febris, & peſtis. Principior. Medicin. p. 20. Noxas aquarum ſtagnantium & putreſcentium fuſe ſatis etiam recenſet CEL. PRINGLE P. III. cap. 4. p. m. 212, & ſeqq. & cap. 7. p. 313, & ſeqq.

(b) Quamobrem, etſi morbi epidemici plurimi ab aere oriantur, minime tamen omnes, vel ſaltem non unice ab aere ſemper pendere videntur.

nemo diu vivere poſſit, atque plurimi homines annis 1771, & 1772 eodem, aut ſimili ſaltem cibo uti, coacti fuerint.

§. 43.

Cibi (§. 42.) autem peccare poſſunt ad morbos producendos vel copia, vel qualitatibus. Copia quidem, ſi male faciunt, exceſſu, vel defectu, id efficiunt.

§. 44.

Ciborum exceſſu, quoad ſolam copiam (§. 43.), febrem epidemicam putridam (§. 35.) natam fuiſſe, nemo ſanus dixerit, ſi magnam illam, cerealium inprimis, ciborum penuriam, qua Regnum noſtrum graſſante hac epidemia laboraverat, in mentem revocet (§. 5 ad 9.); ſi febris hujus originem (§. 5), progreſſum (§. 7 ad 11.), & finem (§. 12, 13.), exacte fere origini, progreſſui, & fini ciborum penuriæ reſpondere perpenderit; ſi denique eos, qui penuria majore laborabant, & victu deteriore utebantur (§. 20.), verbo: pauperes præ ditioribus, febre hac epidemica & numero plures, & ſymptomatibus graviores decubuiſſe, adtente conſideraverit.

§. 45.

Defectu itaque ciborum potius, & pravis eorundem qualitatibus (§. 43.) febrem hanc ſuſcitatam fuiſſe, credibile eſt.

§. 46.

In inedia enim abſoluta actiones vitæ perſiſtentes ſolidas corporis partes deterunt, deſtituunt, conſumunt; ſubtiliſſimos humorum diſſipant; reſiduos inſpiſſant; repetito continenter adtritu ſolvunt olea, & ſales, eadem extricant, volatilia, acria, rodentia ad minima & tenerrima vaſcula reddunt, humores putrefaciunt. Igitur in inedia non quidem abſoluta, ſed reſpectiva (in qua nempe per alimenta non reſtituitur tantum & tale, quantum & quale amiſſum fuerat) omnia nunc recenſita evenient, ſed minore tantummodo gradu. Atqui omnia hæc, minore etiam gradu, valent cutis capillariumque fere omnium oppilationem, & acrimoniam quandam acutiorem producere (quæ cauſæ ſunt febris continuæ putridæ (§. 34.)) inprimis, ſi ab aere humido & frigido, vel humido & calido, hujusque viciſſitudinibus adjuventur (§. 40, 41.). Ergo defectus ciborum, inprimis cerealium, anni 1770, & 1771. (§. 5 ad 8.), una cum

aeris

aeris his annis tempeſtate (§. 3 ad 8.), febrem epidemicam continuam putridam (§. 35.) anni 1771, & 1772 producere potuit.

§. 47.

Verum enim vero cibi hoc tempore, non defectu ſolo (§. 46.), ſed etiam pravis ſuis qualitatibus febrem putridam producere potuerunt. Vidimus enim plurimos urbis noſtræ incolas pane atro, quo milites, aut agricultores alias cum ſanitate uti ſolent, per longum ſatis tempus vixiſſe; qui panis, etſi famis triſtiſſimos effectus (§. 46.) depelleret, eorundem tamen hominum viſceribus inconſuetum, eorumque vitæ generi inconveniens præbebat alimentum (§. 7.). Adde, quod multæ tum, jam a longo tempore, corruptæ farinæ, bonis intermiſcebantur (*a*); quod panis in furno ſæpe minus ſiccatus & piſtus fuerit, adeo ut continuo ſub digitis in glutinoſam maſſam compingi potuerit. Agricolæ vero, qui etiam mox recenſitum atrum panem in deliciis habent, utpote eorum viſceribus, & vitæ generi maxime convenientem; illi, inquam, hoc calamitoſo tempore, ſolis pene furfuribus, herbis

(a) A tritico corrupto febres putrides natas, jam JUL. CÆSAR obſervavit; id ipſum confirmat CL. PRINGLE P. III. cap. 7. p. m. 322.

herbis & radicibus variis glutinoſis veſci cogebantur. Omne itaque panis, & victus nunc recenſiti genus viſcoſitatem ſummam, & majorem certe, quam quæ a viribus chylopoieticis in bonum chylum, bonumque ſanguinem mutari poſſet, in ſe continebat. Verum viſcoſitas nimia ciborum gignit pondus in ſtomacho, flatus, ructus, acorem, cruditates, vaſculorum tenuiorum in inteſtinis obſtructiones, hinc inteſtinorum inertiam, abdominis infarcti tumorem, duritiem; tum ipſi ſanguini infert viſcoſitatem malam, ex unitis iterum viſcoſis particulis. Igitur viſcoſitas nimia ciborum facit viſcerum obſtructiones, & cutis capillariumque fere omnium oppilationem; ponit itaque eas cauſas, quæ febrem continuam putridam excitare valent (*a*). Quid jam de iis dicemus hominum miſerrimis, qui ad diram famem depellendam etiam carnes animalium, morbis enectorum, & jam terræ commiſſorum ac putridorum, clam iterum erutas, diſcerpere & deglutire non verebantur (§. 7.)?

(a) Hunc alimentorum bonorum defectum inter cauſas febris putridæ, quæ anno 1757, & 1758 Pragæ graſſabatur, jure optimo recenſuit CEL. VERBEK Diſſert. inaugur. Sect. III. §. III. & eundem defectum inter cauſas febris putridæ Dresdenſis anni 1759 pariter legimus. *Dresdniſch. Magazin* 1 *Band* 2. *St. p.* 68.

7.)? An non horrendum hoc alimenti genus in viſceribus tam tetro victui non adſuetis cruditates ſummas, & in humoribus putrefactionem ſummam, acutiſſimamque acrimoniam producere potuit? An non ex his ſine mora temporis febris putrida peſſimæ indolis naſci potuit, & in immenſum propagari? Igitur ex omnibus his evidenter patet, tam ciborum defectum, quam eorundem pravas qualitates febri continuæ putridæ generandæ maximam dediſſe occaſionem.

§. 48.

Potus hominibus, inprimis egenis & agricolis, ſola aqua eſt; ſed hæc pariter ob inundationes frequentiſſimas anni 1769, 1770 & 1771 hinc inde ſtagnans (§. 3, 4, 6.), & calore aeris ſubſequente (§. 8.) putreſcens, particulas putridas humoribus noſtris adtulit, ſicque acrimoniam humorum acutiorem reddidit; atque ea ratione ad febrem putridam producendam aptiſſima fuit (*a*).

(a) Aquæ impuræ & putridæ potum inter cauſas pariter febris putridæ anni 1757, & 1758 retulit laudatus VERBEK Diſſert. Sect. III, §. III.

§. 49.

Sequuntur animi adfectus; inter quos ii, qui hoc tempore mortalibus maxime communes erant, recenſeri poſſunt, metus, terror, moeſtitia. Alii quippe ob metum ipſius febris putridæ graſſantis animum maxime dejectum habuere, nec ullo facile modo ſatis erigi potuerunt; alii, viſis amicorum ſuorum decumbentium terribilibus ſymptomatibus, viſis frequentiſſimis hominum funeribus, ſæpiſſime terrebantur; alii denique & plurimi quidem, penuria preſſi, mœrore continuo adficiebantur, dum alimentorum neceſſariorum pretium eorundem proventus excedebat; dum, quas longo tempore ſibi congregaverant, exiguas opes, nunc expendere cogebantur; dum, quam diu conquiſiverant, domus ſuppellectilem nunc pretio viliſſimo ad vitam ſuſtentandam vendere incitabantur; dum, his omnibus diſperſis, cariſſimas ſibi uxores, innocentiſſimas proles, enormi ſame premi, & vivorum ſceletorum ad inſtar obambulare videbant; dum denique parentes, ſilios, conjuges, cariſſimos amicos, a dira febre epidemica ſibi ereptos lamentabantur. Quis hæc vel recenſeat ſine ingenti mœrore? At vero notum eſt, metum, terrorem, mœſtitiam, appetitum ciborum minuere; vires

vires ventriculi debilitare, humorum circuitum minuere, eosque a corporis peripheria verſus cor repellere (*a*); ſic igitur viſcerum obſtructionem, & cutis capillariumque fere omnium oppilationem creare; atque adeo cauſas ponere, a quibus febris continua putrida ſuſcitari poteſt, inprimis ſi aeris tempeſtates (§. 39), ciborum defectus (§. 46.), & pravæ qualitates (§.47.), potus.

(a) Horum animi pathematum effectus pulcherrime recenſet laudatus HOME: *Mœrore pectus occupante, fibræ relaxantur, motus humorum retardatur, valetudo & venuſtas aufugiunt, ventriculus & inteſtina debilitantur, flatibusque diſtenduntur, alta trahuntur ſuſpiria, lumina ſubſidunt, genæ palleſcunt, corpusque mortui potius quam viventis ſpeciem fert. Hinc pulſus debilis, appetitus deletus, debilitas, perſpiratio cohibita, frigus extremitatum, tabes, polypus, omnesque morbi, qui a ſolidis debilitatis proveniunt. Commotionum omnium mœror corpori infeſtiſſimus eſt. In timore & terrore, ſolida debilitantur, fluidorum motus reprimitur, contremiſcunt artus, gelidi effunduntur ſudores, ſanguis circa cor & pulmones accumulatur, fæces & urina involuntarie elabuntur, totaque machina quam maxime relaxatur. Hinc cordis palpitationes, debilitas, anxietas, ſpirandi anguſtia, lethargus, animi deliquium, mania, mors.* Princip. Medicin. p. 15, & ſeqq. Metus & terror, graves que ſollicitudines inter cauſas febris putridæ Saxonicæ anni 1759 etiam adducuntur. *Dresdniſch. Magazin* 1 *Band* 2 *St. p.* 68.

potusque pravus (§. 48.), ad eandem generandam ſymbolum ſuum contulerint; ideoque ii, qui triſtioribus animi pathematibus ſubjecti fuerant, etiam gravius hac febre adfligebantur, & vix eorum quispiam evadebat (§. 20.).

§. 50.

Atque ita dictæ ſunt cauſæ principes (§. 38 ad 49.), quæ febrem putridam epidemicam (§. 35.) produxere; non diffitemur equidem alias etiam hic recenſeri cauſas poſſe; ut 1*mo*: Motum nimium, quo olea & ſales, in corpore noſtro nimis adtenuata, trita, volatilia facta, acria reddita, quaſi in putredinem exaltàntur, & acrimoniam humorum acutiorem producunt; craſſa vero & tenacia olea adcumulantur, & viſcerum, cutis, capillariumque fere omnium obſtructionem creant. 2*do*: Quietem nimiam, qua humores ſtagnando tenaciores viſcidioresque facti, itidem viſcerum, cutis, capillariumque oppilationem faciunt, & ob putredinem humorum, per eorundem quietem, acrimoniam pariter acutiorem ſuſcitant. 3*tio*: Vigiliam nimiam, quæ ſimiliter acria auget, bilem exaſperat; utroque modo acrimoniam acutiorem creat, 4*to*: Denique materiæ perſpirabilis retentionem,

nem, quæ ab aere inprimis humido, & cibis viſcidioribus, plurimum augetur, ſicque viſcerum, cutis vaſorumque capillarium oppilationem, &, ob acre retentum, acrimoniam acutiorem facit; inde febrem continuam putridam producere valet. Hæc itaque omnia (1 ad 4 hujus) inter cauſas febris continuæ putridæ, jure referuntur; quoniam tamen febris noſtra continua putrida epidemica fuit (§. 32), cauſas occaſionales tales habere debuit, quæ omnibus fere hac febre decumbentibus communes erant (§. 37.) & neceſſariæ; clarum hinc eſt, has cauſas (1 ad 4 hujus) febrem quidem in iis, qui eadem corripiebantur, auxiſſe plurimum; neutiquam vero eas tales fuiſſe, ut iisdem epidemia jure quodam adtribui potuiſſet.

§. 51.

Sed annon etiam contagium inter cauſas febris noſtræ continuæ principes referri debuit? Neutiquam: niſi in iis, qui adſiduo, longiſſimoque tempore inter ægros tales fuere; aut ſubito quodam terrore ex ægrorum aut mortuorum conſpectu perculſi fuerunt. Inprimis enim, qui adſiduo inter plurimos tales ægros, aut longiſſimo tempore apud unicum etiam ægrum, in cubili ſatis anguſto,

anguſto, morabantur; ii ſane plurimum de particulis putridis, ex ægrorum corporibus exhalantibus, per venas corporis bibulas acceperunt; a quibus eorundem maſſæ ſanguineæ haud abſimilis acrimoniæ gradus inductus (*a*) fuit: qui vero, viſis ægris aut mortuis, terrore adficiebantur, iis hæc accidere, quæ de triſtibus animi pathematibus dicta fuerunt (§. 49.). Neque tamen horum omnes febre epidemica correpti fuere, vidimusque multos, toto fere tempore ægris inſervientes, ſanos evaſiſſe; dum alii contra hoc morbo peſſime mulctabantur: vidimus frequenter in domo quadam, ex familia ſat numeroſa, unicum tantum ægrotaſſe, cæteris omnibus illæſis: vidimus econtra in plurimis domiciliis omnes fere decubuiſſe, vix ullo excepto; in aliis omnes ſanos evaſiſſe. Quamobrem verum contagium hic accuſari nequit.

§. 52.

Sufficit igitur inter cauſas (§. 37.) febris noſtræ continuæ putridæ (§. 35.) referre aëra humidum & frigidum, tum humidum & calidum (§. 40.), & particulis

D pu-

(*a*) Similia de contagio febris carcerum refert CEL. PRINGLE P, III, cap. 7, p. m. 273.

putridis refertum (§. 41.); deinde ciborum defectum, & qualitates pravas (§.43. ad 47.), potus etiam aquoſi pravam indolem (§.48.); triſtiores denique animi adfectus (§. 49.) (*b*). Quæ omnia inprimis, ubi ſimul juncta fuerint, producunt viſcerum obſtructionem, cutis, & capillarium fere omnium oppilationem, & acrimoniam quandam acutiorem; hinc cauſam febris continuæ putridæ (§. 34), ipſamque adeo hanc febrem ponunt.

CAPUT III.

DE FEBRIS PUTRIDÆ SYMPTOMATIBUS.

§. 53.

Ut a recto, liberoque humorum circulo corporis noſtri, ejusque membrorum agilitas quædam, & ad ſenſum levitas pendet; ſic e- con-

(a) Conſentiunt hæc cum iis, quæ de febris putridæ cauſis ſcribit CEL. HOME: *Cauſæ remotæ ſunt nimia carnium vel piſcium ingurgitatio ſine pane; diæta nautica ex ſalitis & ſemiputrefactis carnibus, aquisque putreſcentibus; nimius ſalis alcalini, fixi, vel volatilis, & aceti uſus; fruges pluviis vel horreis humidis corruptæ;*

contra iisdem humoribus in parte quadam, aut corpore toto obſtructis, aut obſtrui incipientibus, laſſitudo quædam, & ex eadem laſſitudine, capitis gravitas, & lumborum genuumque dolor oritur; cum muſculi, ob laſſitudinem dictam, ſuſtinendo capitis ponderi, lumbi ſuſtentando thoracis oneri, genua denique fulciendo corpori univerſo, haud ſufficiant. Quoniam itaque, & in omni febre continua putrida (§. 34.), & in noſtra etiam putrida epidemica, viſcerum, cutis capillariumque fere omnium oppilatio adeſt; quæ tamen raro ſubito, ſed plerumque per longius tempus naſcitur: clarum eſt, cur noſtra febris putrida epidemica in plerisque aliquot diebus ante ſe adnuntiaverit, prægreſſa magna laſſitudine, capitis gravitate, & lumborum, genuumque dolore (§. 14.).

iæ; tempeſtates humidæ auſtrinæ, comitante vel potius antecedente magno calore; effluvia ab aquarum inundationibus putreſcentibus, vel paludibus prope exſiccatis, vel animalibus aut vegetabilibus putrefactis; aër noſocomiorum, navium, carcerum, vel ergaſtulorum ſtagnans, & ſordibus inquinatus; contagium. Princip. Medicin. p. 81. & PRINGLE P. III. p. 317. & *Dresdniſch. Magazin.* 1. *Band.* 2. *St. p.* 68. *& ſeq.*

§. 54.

Sapor oris in noſtra febre jejuno tempore ingratus & amarus fuit; appetius exiguus (§. 14.). Et ſane in noſtra febre putrida, congregabatur viſcida, glutinoſa, & putrida materia in ventriculo ac inteſtinis, a viſcidis, glutinoſis, & in putredinem maxime proclivibus, aut jamjam putridis alimentis (§. 47.); a talibus vero in ventriculo collectis naſcitur ſapor oris ingratus & amarus; eadem porro pituita iners, viſcida, aut ſordes putridæ in ventriculo collectæ, appetitum ciborum minuunt; igitur & ſapor oris ingratus & amarus, & appetitus exiguus mox in febris noſtræ initio aderant.

§. 55.

Nemini quoque ignotum eſt, quantus ſit ventriculi cum encephalo nexus, adeo ut læſo encephalo adficiatur ventriculus, hoc læſo viciſſim encephalon; ſed ventriculus in febre noſtra epidemica læſus fuit a viſcida, glutinoſa, putrida materia in eodem collecta (§. 54.); ergo etiam caput ab eadem materia adficiebatur, & ſomnus plerumque perturbatus fuit, quandoque cephalalgia magna, quæ aliquot diebus perſiſtebat abſ-

que

que alio ſymptomate: qui vero gravius ab eadem materia putrida in ventriculo hærente adficiebantur; eorum ſenſorium commune illico magnopere lædebatur, & adhuc obambulantes delirare ceperunt: alios vis morbi ſubito proſtravit, ob ſummam ex fomite putrido natam debilitatem: non raro tertianæ ſpecie ſub principium ludebat (§. 14.); quoniam & ab eadem viſcida, glutinoſa, ac putrida materia febres intermittentes, inprimis tertianæ, facillime oriri poſſunt, & eædem quoque hoc epidemico tempore graſſabantur (§. 7. 12. 13.).

§. 56.

Verum morbo ulterius progrediente ſequebatur horripilatio & frigus (§. 15.). Morbo enim ulterius progrediente, obſtructiones viſcerum, cutis, capillariumque fere omnium oppilationes augebantur; iis vero auctis motus humorum circulatorius minuitur, hocque minuto, calor etiam decreſcit; itaque frigus & horripilatio obſervatur. Minuto etiam motu humorum circulatorio, minuitur actio cordis, majorque cordi reſiſtentia fit a ſanguine lentius moto; itaque frigoris tempore pulſus parvus & celer obſervatur (§. 15.).

§. 57.

Frigori huic ſuccedit ſiccus & acer calor, talis nempe, qui ſæpe in initio levior videtur, dum tangitur ægri manus; ſed augetur quaſi omni momento, & tangentis digitum quaſi pungit & mordet, ac ſi de profundo corporis calor emergeret. Dum enim cor omnibus viribus reſiſtentiam ſanguinis (§. 56.) ſuperare nititur, dumque quædam corporis loca obſtructa manent; ſanguis idem per reliqua aperta tanto fluet velocius; quæ velocitas iterum augetur eo magis, quo ſanguis ipſe denſior eſt Quoniam itaque in febre continua putrida adſunt cauſæ inflammatione ſimplici majores (§. 34.); major etiam, ſiccus nempe, & acer calor oritur (§. 15.). Tunc etiam pulſus magnitudine augetur; quia cor majore vi ſanguinem in arterias propellit; & quandoque valde fortis eſt, non tamen durus, cum ſanguis quidem cruſtam inflammatoriam ſæpe habeat (§. 22.), non tamen adeo denſam, ut in morbis inflammatoriis. In quibusdam autem nec frigoris, nec caloris augmentum valde notabile fuit, pulſusque ſano fere ſimillimus (§. 15.); in quibus nempe, aut morbus ipſe leniſſimus fuit, aut ſanguis valde diſſolutus, qui nec facile ſtagnare, nec a corde motus per arterias, adtri-

tum

tum magnum efficere potuit. Sic & cephalalgia in quibusdam augebatur, ob majorem materiæ putridæ in ventriculo collectionem (§. 54.55), aut vehementiorem ſanguinis verſus caput determinationem: in quibus autem hæ cauſæ leviores fuerunt, in his cephalalgia fere nulla adfuit.

§. 58.

Nauſea, & vomitus etiam nonnullos cruciabat (§. 15.): nauſea enim, & vomitus fit, quoties materia putrida in ventriculo hærens fibras ventriculi irritat; ſed ejusmodi materia hæſerat in ventriculis eorum, qui febre epidemica putrida laboraverant (47. 48. 54. 55.); igitur nauſea & vomitus eosdem cruciabat. Ab iisdem ſordibus putridis, & earundem in ventriculum actione, proveniebant ructus & oris amarities; linguæ color albus, flavus, ejusdem ſordes, & halitus etiam oris ingratus (§. 15.).

§. 59.

Quum præterea ſitis ſemper ſiccitatem, liquorum immeabilitatem, acrimoniam magnam, aut putrida excrementa primarum viarum, pro cauſa ſua habeat; hæc autem adſint in febre continua putrida, ut jam ſic-

quenter diximus ; ſitis quoque febrem putridam comitatur (15.). Ab eadem ſiccitate, & calore (§. 57.), lingua ſicca, dura, & aſpera redditur ; atque accedentibus ſordibus (§.58.), eadem nigra evadit (§.15.).

§. 60.

Febris plerumque noctu validior, mane remiſſior erat, nunquam tamen penitus ceſſabat; æger potiſſimum triſtis & dejectus erat (§. 15.); ſic itaque & ſingulis diebus febris hæc exacerbabatur, plerumque ſine ullo temporis ordine; quæ tamen exacerbationes in quibusdam vix percipiebantur (§. 16.). Febris enim noſtra epidemica vera continua putrida fuit (§. 35.); ſed in febre continua putrida frequentiſſime ejusmodi febris inæqualitates obſervantur, ut pulſus inæqualis, & non ordinatus demonſtrat: igitur & in noſtra febre ejusmodi inæqualitates obſervabantur. Fiunt enim hæ inæqualitates, vel quia ſanguis inflammatoria ſpiſſitudine immeabilis circa extremas arteriarum anguſtias hærere incipiens, vel ſaltem non niſi difficulter tranſiens, & cutis capillariumque fere omnium oppilationem faciens (§. 34.), circulationis æquabilitatem tollit ; vel etiam quandoque dum acrimonia ſingularis miro modo omnia turbat ; ſed

ambo

ambo hæc in noſtra febre epidemica adfuere (§. 34.); igitur & dictæ febris inæqualitates adfuere.

§. 61.

Urina colore, copia, & conſiſtentia multum variabat (§. 16.). Urina enim verum eſt lixivium ſanguinis; adeoque ſequitur mutatas conditiones ſanguinis; ſed ſanguis in febre continua putrida multum mutatus eſt (§. 22.), varioque modo a ſtatu ſano degenerat; ergo etiam urina colore, copia, & conſiſtentia multum variat.

§. 62.

Alvus quandoque clauſa erat (§. 16.). In febribus enim putridis habentur quandoque viſcerum obſtructiones (§. 34.), dum nempe aquoſa & tenuiſſima humorum parte diſſlata, reliqua inſpiſſantur; ſed obſtructiones viſcerum alvum clauſam faciunt; igitur in febre putrida epidemica alvus quandoque clauſa erat.

§. 63.

Quandoque levis diarrhoea aderat, abſque levamine (§. 16.). Si quacunque de cauſa

ſic

ſic irritentur inteſtina, ut per motum periſtalticum validiorem & celeriorem illa, quæ inteſtinorum cavo continentur, citius ad anum veniant, non dabitur tempus requiſitum, ut fiſtulæ venoſæ abſorbentes omne liquidum exhaurire poſſint; adeoque & frequentius movebitur alvus, & liquida erunt excrementa, id eſt, aderit diarrhoea: ſed inteſtina a materia putrida in primis viis hærente (§. 54.), & ab acrimonia humorum acutiore (§. 34.) in febribus putridis frequenter dicto modo irritantur: ergo in febre putrida quandoque levis diarrhoea adeſt. Sed abſque levamine: ea quippe diarrhoea fit abſque levamine, quæ materiam peccantem & irritantem non illico expellit; ſed talis erat diarrhoea levis in febre epidemica putrida; ergo diarrhoea hæc fiebat abſque levamine.

§. 64.

Cutis alias ſicca, alias madida fuit, pariter abſque levamine (§. 16.). In febre noſtra epidemica aderat cutis, capillariumque fere omnium oppilatio (§. 34.); ſed hæc cutim ſiccam facit, quippe vaſa perſpirationi inſervientia obſtructa ſunt; ergo cutis alias ſicca fuit. Alias vero vaſa cutis nimium laxa fuere, ab humiditate continua

aëris

aëris (§. 40.), & ſanguinis circulatio per febrem (§. 57.) vehementior; ſed hæ cauſæ faciunt ſudores in febribus; ergo etiam in noſtra febre cutis alias madida fuit; verum iterum abſque levamine, ob rationes ſimiles (§. 63.).

§. 65.

Sæpe vermes, lumbricis ſimiles, per ſuperiora aut inferiora excernebantur (§. 16.). Ovula enim vermium, cum aëre impuro (§. 41.), & aqua ſimiliter putrida (§. 48.), plura hoc tempore ingeſta fuiſſe, dubium non eſt; eadem vero ovula in materia viſcoſa, ab alimentis viſcoſis & putridis (§. 47.) nata, alebantur copioſius; igitur vermes plures aderant in hac epidemica febre, qui ſæpe per ſuperiora aut inferiora excernebantur.

§. 66.

Quandoque etiam icterus febrem epidemicam putridam comitabatur (§. 16.). Icteri ſpecies ab obſtructo hepate oritur; ſed in febre putrida frequenter adſunt obſtructiones viſcerum (§. 34.), adeoque etiam hepatis; igitur etiam icterus quandoque adeſt. Ubi vero humores magis verſus caput determinabantur iis ægris, uti totum ſenſorium commune, & ſenſus omnes, ita

&

& auditus inprimis obtundebatur; hinc etiam auditus plerumque gravis fiebat (§. 16.).

§. 67.

Verum enimvero hæc (§. 53. ad 66.) morbi ut plurimum levioris fuere ſymptomata; quibus vero morbus valde atrox fuit, & ſæpe omnibus remediis ſuperior, aut mala medicatione pejor redditus; in his febris ſenſim augebatur (§. 17.). Febris etenim communiter increſcit pro ratione ejus cauſarum indies auctarum, nempe prouti viſcerum obſtructiones, cutis capillariumque fere omnium oppilationes, & acrimonia humorum acutior (§. 34.) continuo augebatur: ſed ubi morbus valde atrox fuit, cauſæ hæ ſenſim augebantur, ergo & ipſa febris.

§. 68.

Quibusdam etiam ingens & non ſiſtenda narium hæmorrhagia, diebus non criticis, contingebat (§. 17.). In quibusdam enim ſanguinem jam penitus diſſolutum fuiſſe, viſum eſt; ſed ab hujusmodi diſſolutione ſanguinis naſcuntur hæmorrhagiæ, inprimis narium, ingentes & non ſiſtendæ; ergo etiam in febribus putridis quandoque tales hæmorrhagiæ contingebant. Et quo-

niam

niam hæ nullo modo criticæ evacuationes fuere, ſed ſymptomaticæ; hinc etiam diebus non criticis accidebant.

§. 69.

Tum acceſſere deliria (§. 17.). Fidelis obſervatio morborum docuit, ſordes circa præcordia hærentes ex indigeſtibili materia adſumta & hic corrupta natas, turbare poſſe omnes actiones ſenſorii communis, & deliria, furores, aliaque peſſima mala producere; ſed ejusmodi ſordes circa præcordia ex indigeſtibili materia adſumpta (§. 47.) in plurimis noſtris ægris natæ ſunt; ergo & deliria.

§. 70.

Notum etiam eſt, putredine aëris non elaſtici copiam maximam ex corporibus extricari, & in ſtatum elaſticum reſtitui, quæ putredo ſi in ventriculo & inteſtinis contingat, abdomen certe mirum in modum extenditur: ſed talis putredo adſuit in quibusdam noſtrorum ægrorum ab adſumptis putridis fere alimentis (§. 47.), aut a corruptis jam nimium & putreſcentibus humoribus; ergo iisdem abdomen mirum in modum tumebat (§. 17.).

§. 71.

Porro inſenſilitas aderat, & alvi urinæque excretiones involuntariæ fiebant; æger omne auxilium reſpuebat, & continuo delirans loquebatur, muſcas & feſtucas capiebat (§. 17.). Cuncta hæc ſenſorium commune admodum læſum eſſe demonſtrant; ſed iſtud a materia putrida in primis viis, aut jam in ipſis humoribus hærente ſummopere lædi mox dictum fuit (§. 69.); itaque horum omnium ratio clare eluceſcit.

§. 72.

Ægri ſudore diffluebant, qui circa mortem frigidus & inæqualis fuit (§. 17.). Quodſi enim cauſæ ſudoris (§. 64.) memoratæ ingentes ſint; ſudor quoque ingens ſit, neceſſe eſt: hæ autem in febribus putridis gravioribus erant maximæ; igitur etiam ſudore diffluebant ægri, qui circa mortem, ob vires vitæ deficientes, frigidus ſimul & inæqualis fuit.

§. 73.

Pulſus etiam celer, parvus, & inæqualis fuit, adeo quidem, ut circa mortem numerari non potuerit (§. 17.). Quo enim morbus

bus gravior eſt, eo vires moventes ſanguinem per vaſa magis imminuuntur; adeoque vaſa parum dilatantur, inprimis cum ſimul, plurimis vaſculis obſtructis, & humoribus in iisdem ſtagnantibus, pauculum per vaſa adhuc libera ſluat, quod arterias multum dilatare nequit; fit itaque pulſus parvus, ſimulque, ob auctam febrem §. 57.), celer, & ob rationes dictas (§. 60.) inæqualis. Quoniam vero omnes hæ cauſæ circa mortem inſigniter augentur; hinc etiam pulſus circa mortem adeo celer, parvus, & inæqualis fuit, ut numerari non potuerit.

§. 74.

Sed etiam in febribus putridis gravioribus fit maxima obſtructio viſcerum (§. 34.); igitur & in pulmonibus, inprimis ob ſanguinem ſæpe phlogiſticum (§. 22.) ſimilis obſtructio contingit: atqui nata ejusmodi obſtructione in pulmonibus, fit reſpiratio frequens, anheloſa, difficilis; ergo ſic læſa reſpiratio in febribus putridis gravioribus obſervabatur (17.).

§. 75.

Fœtor excretorum cadaveroſus fuit (§. 17.) Is fœtor in illis adeſt, ubi ſumma

præ-

præſens eſt humorum corruptio; talis autem fuit in febribus putridis gravioribus, ut jam abunde demonſtratum eſt; igitur & fœtor excretorum cadaveroſus fuit.

§. 76.

Etiam convulſiones, & tendinum ſubſultus percipiebantur (§. 17.). Convulſiones, & tendinum ſubſultus ab omni illa cauſa oriri poſſunt, quæ deliria producit: ſed deliria in febribus putridis gravioribus, etiam maxima, adfuere (§. 68.); igitur & convulſiones, tendinumque ſubſultus.

§. 77.

Porro decubitus ægri ſupinus erat, & verſus lecti partem inferiorem delapſus (§. 17.). Sub tali decubitu ſumma corporis omniumque muſculorum debilitas adeſt; hæc autem fuit in febribus putridis gravioribus (§. 53.); igitur & decubitus talis obſervabatur.

§. 78.

Oculi luctuoſi, & involuntariis lachrymis humidi erant (§. 17.). Nitor & ſplendor oculorum naturalis pendet ab æquabili vaſo-

vaſorum impletione, & adſidua tenuiſſimæ lymphæ, qua oculi deterguntur, irroratione: ſed hæc in febribus putridis gravioribus non contingunt; cum totus humorum circulus, omnesque ſecretiones perturbentur; itaque tunc oculi luctuoſi ſunt. Verum eodem tempore adeſt ſumma vaſorum laxitas, a qua fit, ut vaſa humorem lachrymalem ſecernentia plus humoris ſui transmittant, quam in ſtatu ſano; ſed major hæc lachrymarum copia per oſcula lachrymalia ſatis reſorberi nequit; proinde lachrymæ involuntariæ per genas defluunt, & oculos humectant.

§. 79.

Denique anxietas ingens, thoracis repletio, & mors ſequuta eſt (§. 17.). Anxietas pro cauſa habet ſanguinis ex corde egreſſum impeditum, adeoque per fines pulmonales, aut aortæ, impoſſibilem tranſitum: ſed hæc in febribus putridis gravioribus contingunt; adeſt enim maxima viſcerum, adeoque etiam pulmonum, obſtructio (§. 74.), & vaſorum capillarium oppilatio (§. 34.); igitur & anxietas ingens; atque hujus cauſis ſenſim auctis, thorax a ſanguine continuo magis magisque repletur; donec tandem omnis vitalis motus

 ceſ-

ceſſet, & mors tragoediæ huic ſinem imponat.

§. 80.

Verum in plerisque febribus putridis adeſt cutis, capillariumque fere omnium oppilatio (§. 34.); quæ quidem tanto major eſt, quo acrimonia humorum acutior eſt; aut quo humores per vim vitæ in vaſorum extremitates magis impinguntur; aut denique quo ex vulgi imperitia calidiore regimine ægri tractantur, ſicque, per vim quaſi diſſlatis omnibus aquoſis, oppilatio hæc vaſorum cutaneorum pertinacior facta eſt: ſed ex ejusmodi vaſorum cutaneorum oppilatione, accedente ſimul maxima humorum corruptione, naſcuntur miliaria rubra, aut alba, maculæ etiam cutis purpureæ, aut lividæ; ergo adparet ratio, unde ejusmodi exanthemata (§. 18.) in febribus noſtris putridis frequenter nata fuerint,

§. 81.

Porro febris noſtra putrida fuit ex acutarum febrium genere (§. 31.); ſed febres acutæ vel in mortem, vel alium morbum, vel ſanitatem terminantur; igitur & febris noſtra putrida in mortem, alium morbum, aut ſanitatem terminabatur. Deinde febris

no-

noſtra putrida per ſe maligna non fuit (§.36.); itaque conſueto putridis more ſpatia ſua decurrebat, & diebus criticis judicabatur, ut in morbi hiſtoria (§. 19.) expoſitum fuit.

§. 82.

Materia morbi noſtri plerumque aut in primis viis hæſerat, a prava alimentorum indole (§. 47. 48.); aut eadem in vaſculis cutaneis, ab aëris vitiata qualitate (§. 39. ad 42.) oppilatis detinebatur; aut denique jam ſanguinem ipſum acrimonia acutiore infecerat: igitur etiam materia morbi plerumque per has vias optime evacuata fuit tempore critico, nempe vel per alvum, vel per ſudorem, vel denique per urinam (§. 19.). Quoniam vero materia morbi nonnunquam etiam per metaſtaſes in alia corporis loca deponitur; iſtud quoque in noſtra febre putrida, licet rariſſime, obſervatum fuit.

§. 83.

Cum autem per bonam criſim materia morbi perfecte evacuata fuerit (§. 82.); mirum non eſt, vires priſtinas cito rediiſſe, ſi congruo victus regimine uterentur reconvaleſcentes (§. 19.). Contra vero, ſi no-

vos in diæta errores committerent; iidem a cauſis (§. 37. ad 52.) memoratis & adficiebantur facilius, &, ob debilitatem corporis per morbum prægreſſum inductam, mulctabantur gravius.

§. 84.

Clarum ſimul eſt, eos homines febre putrida inprimis adfectos fuiſſe, eademque cæteris gravius decubuiſſe, qui cauſis hujus febris putridæ magis exponebantur: ſed homines mediæ ætatis, temperiei calidæ & ſanguinolentæ, ad diatheſin ſanguinis inflammatoriam proniores ſunt; & qui victu deteriore utebantur, aut triſtioribus animi pathematibus obnoxii erant, cauſis febris putridæ magis exponebantur (37. ad 52.); igitur etiam hac febre gravius adficiebantur (20.).

CAPUT IV.

DE FEBRIS PUTRIDÆ REMEDIIS.

§. 85.

Ut recta febris putridæ medendi methodus inſtituatur; oporter 1. Vitam, ejusque vires conſervare; 2. Cauſas morbi expellere,

re, vel corrigere; 3. Symptomata mitigare. Atque hiſce indicationibus in febre noſtra putrida ſatisfieri debuit.

§. 86.

Vita, ejusque vires, conſervantur (§. 85. 1.) cibis & potibus fluidis, facile digerendis, putredini adverſis, ſiti contrariis, appetitui citando idoneis; hi vero copia parca, ſæpe repetita, exhiberi debent. Recte adeo æger, incipiente morbo, mox victu parciore & tenuiore utebatur, & pro potu ordinario aqua cum ſucco citri, vel aceto, aut decocta farinacea, addito grato acido, exhibebantur (§. 21.); hæc etenim putredini adverſantur, ſitim leniunt, & appetitum leniter ſtimulant. Similiter ſub ipſo morbi decurſu, juſcula hordeacea cum ſucco citri, leves panatellæ, aut, qui huic adſueti erant, tenue jus carnium cum ſucco citri, fructus etiam horæi recte a medicis concedebantur (§. 24.).

§. 87.

Cauſæ morbi vel expelli potuerant e corpore, vel certe corrigi debuerant (§. 85. 2.). Expelli potuerant, quamdiu in primis viis hæſerant; corrigi, dum jam in

 ſan-

ſanguinem tranſiiſſent. Quamdiu cauſa morbi in ventriculo hæret, optime emetico expellitur, niſi aliud quid obſtet. Quoniam itaque in febre noſtra putrida cauſa morbi frequentiſſime in ventriculo hæſerat, a viſcoſis & putridis alimentis ingeſtis (§. 47.); optime illa emetico expellebatur in illis, in quibus nullum contraindicans aderat (§. 23.) (*a*).

§. 88.

(a) Emetica ſane perquam neceſſaria ſunt, in quibusdam morbis epidemicis; experientia duce didicit SYDENHAMUS in conſtitutione epidemica annorum 1661. 62. 63. 64. ubi ſub initium febris vomitus ſpontaneus vel inanis vomendi propenſio ægrum diſcruciaret, medicamen emeticum adeo fuiſſe neceſſarium, ut ſine manifeſto vitæ diſcrimine omitti vix potuerit. Ubi bilis putrida hærens in primis viis turbat totam oeconomiam animalem, morbique admodum maligni ſcenam repræſentat, nemo dubitat, de exhibitione vomitorii, ſaburra enim hac excuſſa, ſæva illa ſymptomata, ut nauſea, anxietas, jactationes, deliria, ſuſpiria luctuoſa, illico mitigantur, quodque morbi reliquum eſt, facilius toleratur. Quod itidem in noſtra febre putrida epidemica frequenter vidimus, ubi ſaburra ſimilis a pravis & indigeſtibilibus alimentis collecta fuerat, qua excuſſa, morbus illico mitior factus eſt, immo quandoque ubi emeticum tempeſtive adminiſtratum fuit, penitus evanuit. At vero, ubi ſuſpicio inflammationis ſubeſt, vel & tectus adhuc morbi epidemici

§. 88.

Ubi vero cauſa morbi jam ad inteſtina tranſiverat, aut contraindicans quoddam vomitum prohibuerat (§. 87.); in his convenientius hæc materia per inferiora expellebatur: recte adeo rheum cum ſale aliquo medio, aut clyſmata emollientia his ægris exhibebantur (§. 23.).

§. 89.

Verum, dum cauſa morbi jam in ſanguinem tranſiverat, corrigi eadem debuit (§. 87.). Corrigebatur autem, vel ejus lentorem minuendo, vel acrimoniam immutando.

ci genius. aut indoles ejus nondum exacte perſpecta, ſatius eſt, a tam violento, corpusque multum agitante remedio, manum retrahere. Acerbe luxit SYDENHAMUS emetici exhibitionem in conſtitutione epidemica anni 1665. dum propinatum vomitorium ſperato deſtitueretur ſucceſſu, nobilis vero ægra funeſti remedii noxam ſuo interitu comprobaret. Hinc patet, quanta cautela ſit opus, dum de emetico exhibendo agitur in morbo epidemico, ut pulcherrime pro more ſuo declarat ILL. HAEN Rat. Med. III. cap. 1. idemque monuit CEL. HASENOEHRL Febr. Petech. p. 26. & ſeq.

§. 90.

Lentor humorum (§. 89.) inflammatorius plerumque fuit (§. 22.); hic vero minuitur venæſectione; itaque in iis, in quibus ejusmodi lentor pulſu forti, duriore, & temperie ſanguinolenta ſe manifeſtabat, vena ſecari debuit (*a*): neutiquam vero in iis, in quibus ejusmodi pulſus, aut plethora non aderat (§. 22.).

§. 91.

In noſtra febre epidemica humorum acrimonia putrida fuit (§. 34.); ſed acrimonia putrida immutatur ab acidis; igitur ad acrimoniam hanc immutandam (§. 89.) acida

(a) CEL. HASENOEHRL recte dicit, inanem eſſe metum illorum, qui in febribus ſic dictis malignis, vel & vere malignis, manum ſemper a venæſectione temperandam eſſe contendunt, ne ſcilicet debilitatem in principio morbi jam præſentem augeant: cum enim hæc debilitas incipientibus morbis frequentiſſime ortum ſuum debeat ſanguini ſpiſſo, immeabili, phlogiſtico, clare eluceſcit, phlebotomiæ adminiſtrationem in febribus continuis nullis circumſcribi limitibus, niſi conditione ægri, numero & vehementia ſymptomatum. Febr. Petech. p. 22.

da adhibebantur (*a*). Et quum porro in febre putrida adfuerit cutis, capillariumque fere omnium oppilatio (§. 34.); addita fuere lenia deobſtruentia & diaphoretica medicamenta; qualia ſunt nitrum, ſtibium diaphoreticum non ablutum, lapides ancrorum &c. (§. 24.).

§. 92.

Quoniam demum cortex peruvianus putredini humorum maxime reſiſtit (*b*); in iis, ubi humorum corruptio maxima aderat, medicamentum hoc egregie profuit (§. 26.).

§. 93.

In ſymptomatum mitigatione (§. 85. 3.) præcipue ad cephalalgiam, & delirium reſpiciendum erat; hæc autem optime mitigantur revellendo materiam morboſam ab

F en-

(a) Sunt tamen, qui acidis in febribus putridis caute admodum utendum eſſe monent. PRINGLE P. III. cap. 7. p. m. 298. & ſeq.

(b) Vires corticis peruviani in febribus putridis perfectiſſime deſcripſit ILL. de HAEN. Rat. Med. III. cap. 1. & confirmat etiam CEL. HASENOEHRL Febr. Petech. p. 40. & ſeq.

encephalo, per epiſpaſtica, aut veſicantia cuti adplicata; ergo, ubi cephalalgia magna, aut delirium magnum fuit, epiſpaſtica, aut veſicantia adplicare, neceſſe erat; & ſi hæc tempeſtive, priusquam nempe dicta acrimonia encephalon deſtruxiſſet; & ſatis larga, ut revulſionem tanto majorem efficere poſſent, adhibita fuerunt, ſæpe optime levarunt ægrum (§. 25.).

§. 94.

Quoniam vero veſicans cadaveri adplicatum cuticulam non elevat; nec eandem elevabit, etiam repetitum, ubi, vivente licet homine, vires vitæ jam deficiunt; ſed quibus vires vitæ jam deficiunt ex ſumma humorum corruptione, ii certo moriuntur; ergo, quibus veſicantia nullas veſicas, etiam repetita, levarunt, ii certo moriebantur (§. 25.) Contra vero, licet veſicantia amplas etiam veſicas extrahant, quandoque tamen humorum acrimonia tanta eſt, ut ſuperari nequeat ullis auxiliis, & neceſſario ægrum mori, neceſſe ſit; ergo etiam eorum, quibus veſicantia amplas veſicas extraxerunt, multi occubuerunt (§. 25.).

§. 95.

Symptoma quoque moleſtum eſt linguæ ſiccitas (§. 15.); ſed hæc optime tollitur remediis mucilaginoſis, & ſaponaceis; igitur mucilago ſeminum cydoniorum, cum melle roſarum, & ſimilia optime conducebant (§. 27.).

§. 96.

Quum autem, morbo jam perfecte judicato, utile ſit, corpus leni purgante evacuare; quo reliquiæ materiæ morboſæ, aut collectæ interea in primis viis ſordes leviores evehantur: purgans lene (§. 28.) abſoluta criſi exhibitum fuit.

§. 97.

Et quia ſimul in omni febre magna ſit jactura tam ſolidarum, quam fluidarum corporis humani partium; eadem jactura, morbo perfecte judicato, reparari debet: hæc autem optime reparatur cibis levioribus, & facillime digerendis, qui parca ſimul copia exhiberi debent, ut a viribus ventriculi, a morbo prægreſſo adhuc debilibus, in bonum chylum mutari poſſint, & corpus noſtrum refi-

reficiant, non opprimant; igitur reconvaleſcentibus ex febre putrida cibi leviores, & facillime digerendi, parva copia, exhiberi debuerunt (§. 28.).

§. 98.

Quum denique ad robur priſtinum corpori conciliandum, lenis corporis motus perquam utilis ſit; eundem quoque motum jubebantur reconvaleſcentes noſtri exercere (§. 28.); atque ita felicis curationis finem abſolvere.

A. M. D. G.